3 1761 07824208 8

PA
4446
A2
1880a

DR. RUDOLF HABELT
Buchhändler u. Antiquar

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/theognidisreliqu00theo

SIBI
ET
AMICIS

THEOGNIDIS RELIQUIAE.

EDIDIT

JACOBUS SITZLER,

DOCTOR PHIL.

HEIDELBERGAE.

IN ÆDIBUS CAROLI WINTER.

1880.

PA
4446
A2
1880a

770856

PRÆFATIO.

Theognidis edendi consilium cepi, non quo novos fontes adiissem, quos iam communi omnium usui aperirem, sed ut subsidiis, quae adsunt, recte usus plus ordinis in tantam Theognidis farraginem inferrem. Quo in ordine constituendo quam viam rationemque secutus sim, prolegomenis satis exposui. Quae autem vera aut probabilia repperi, ea oculis quoque conspicua reddere conatus sum in ipsa editione diversis adhibitis typis, ut genuinos versus maioribus, minoribus eisque recedentibus spurios, apertas interpolationes ex ipso Theognide obliquis litteris insignirem. Latius denique dispositis litteris ea significantur vocabula eaeque sententiae, quibus continuatio versuum nitatur.

Textui carminum criticum, qui dicitur, apparatum quam plenissimum addidi, ita, ut Bekkeri editio altera, novarum collationum cod. *A* a Schneidewino et van der Mey, codd. *OK* a Zieglero et Hartio et Hinckio institutarum ratione habita, textui constituendo fundamento esset, editiones virorum doctorum, quoad eius fieri poterat, respicerentur, emendationes coniecturaeque ex annalibus et diariis philologorum adiicerentur. Itaque neminem quidquam gravius in hac re desideraturum spero, quamquam haud ignoro in eiusmodi labore facile haec illa vel maximam nostram diligentiam effugere solere. Nec minus quae mihi ad interpretationem necessaria viderentur, et in prolegomenis et in notis attuli. Quare non vana fortasse erit spes hanc editionem quæstionem Theognideam propius ad diiudicationem admoturam aut, si minus, at aliis haud ingratum fore adminiculum, quo usi, si dis placet, rem ad finem perducant.

Aurelia Aquensi mense Julio anni MDCCCLXXIX.

J. Sitzler.

Addenda et corrigenda.

p. 20 Not. 82 lege 472 pro 427.

p. 49 Not. 7 adde: schol. ap. Geel. p. 226: τί δὲ ἐκώλυεν αὐτὸν ἐκ ταύτης μὲν εἶναι τῆς Μεγαρίδος, ἀπελθόντα δὲ εἰς Σικελίαν, ὡς ἡ ἱστορία ἔχει, γενέσθαι νόμῳ Μεγαρέα ἐκεῖ, ὡς καὶ τὸν Τυρταῖον Λακεδαιμόνιον.

p. 111 v. 919 in fin. adde τις.

p. 126 v. 1173 scribe ὦ pro ὧ.

in indice s. δῶρον adde: δῶρον περιττόν 1387.

„ „ s. K „ κόλπος 602.

„ „ s. Λ „ λαοφθόρος στάσις 781.

„ „ „ „ „ Ληθαῖον πεδίον 1216.

„ „ s. M „ μαλακὸν ξύλον 1194.

Prolegomena.

I.

Amplissimum inter poetas, quos Anthologia lyrica complectitur, spatium obtinet Theognis, cuius plus mille ducenti versus a veteribus traduntur. Quid igitur mirum, si viri docti hunc potissimum poetam sibi edendum atque explanandum elegerunt, præsertim cum, quantum poetarum lyricorum carmina non solum ad litteras Græcorum, sed etiam ad vitam moresque ac res gestas cognoscendas conferant, hodie inter omnes constet [1]? Et ediderunt Theognidem, ut alios omittam, Camerarius, Sylburgius, Kallius, Brunckius [2], Gaisfordus [3], deinde Im. Bekkerus et, qui optime de Theognidis reliquiis meritus est, Welckerus [4], inter recentiores Orellius, Schneidewinus, Bergkius, Hartungus, Chr. Ziegler. Nec defuerunt, qui aut in emendando aut in interpretando poeta operam ponerent, quorum in numero est Schœmannus [5], Heckerus [6], Bergkius [7], Leutschius [8], Heimsœthius [9], Herwerdenus [10], Rintelius [11], Weberus [12], Gräfenhanus [13]. Sed cum hi viri docti omnes aut nimiam libris habuerint fidem aut nimio in edendis poematis arbitrio usi sint, non γλαῦκ' Ἀθήναζε [14] ferre mihi videor, si integram quæstionem retractabo ac certa quadam ratione adhibita pro viribus diiudicationi propius admovere studebo.

---

[1] Tyrtæum et Solonem memorasse sufficit; cf. præterea Welcker, Theognis, proleg. pag. XXXIX, 22. — [2] poet. gnom. 1784. — [3] poet. min. gr. I. 1814. II. 1815. — [4] Theognidis reliquiae novo ordine disposuit, commentationem criticam et notas adiecit W. 1826. — [5] schediasma de Theognide, Greifswald 1861. — [6] Philolog. V. — [7] Rhein. Museum N. F. III. — [8] passim in Philolog. — [9] emendat. Theognid. part. III. Bonn. — [10] animadv. philol. ad Theognid. 1870. — [11] de Theognide Meg. 1863. — [12] cf. eleg. Dichter nebst Noten p. 536 sq. — [13] Theogn. Theognideus 1827. — [14] Aristoph. av. 302.

Atque omnibus, qui libros alicuius scriptoris edunt, mos est, ut aut quidquid de auctoris vita moribusque traditum est aut quantum ad intelligenda eius scripta satis videtur esse, præmittant. Quo a more mihi, qualis est natura atque indoles Theognidis reliquiarum, recedendum censeo. Nam cum fontes de vita Theognidis satis exigue fluant, in partem vocanda sunt carmina ipsa, quae quin omnia genuina atque a poeta ipso profecta essent, si extra dubitationem positum esset, omnia optime se haberent. Nunc vero cum multos versus subditicios esse inter omnes constet, priusquam ad poetae vitam illustrandam adhiberi possint, quæstio instituenda est, quae ipsius Theognidis sint quæque scriptorum aliorum. Consentaneum est igitur nos, antequam ad vitam enarrandam aggrediamur, de versibus quid statuendum sit, videre.

Quae de versibus Theognideis, qui genuini sint quique subditicii, suspicio est, ea ipsa hac, qua utimur, carminum mota est collectione, cuius de condicione viri docti ad unum omnes consentiunt. Et Joachim quidem Camerarius: φανερόν, inquit, ὅτι τὰ Θεόγνιδος ἔχοντα ἐπιγραφὴν ἔπη συναθροισμός τίς ἐστι ποιημάτων διαφόρων. περιαιρεθέντων δηλαδὴ ἐκ τῶν ἐκείνου ὅσα τινὸς αἰσχρολογίας ἔχεσθαι ἔδοξε καὶ ἀντὶ τούτων ἐμβληθέντων ἄλλων [15]). Item Schneidewinus: Disiecti membra poetae arguit primus obtutus: adeo fere nullo ligamento singulae elegiae vinctae sunt [16]). Nunc quidem carmina illa discerpta et cohortationibus ad Cyrnum intertexta leguntur, ut magnam quandam cladem sustinuisse videatur synagoge Theognidea [17]). Summa imis mixta habemus [18]). Neque aliter Schœmannus: prisca et genuina, inquit, Theognideorum carminum forma qualis fuerit, ex nullo eorum cognosci potest [19]). Illud tamen negamus fieri posse, ut ex hac quae hodie exstat farragine, cuius compilatori nullam eiusmodi collectionem praesto fuisse certissimum est, si quis eos versus, qui aut manifesto alieni sunt aut nihil de virtute bonisque moribus praecipiunt, omnes eliminet, ceteros autem probabiliore quodam sententiarum ordine disponat, aliquid veteris illius gnomologiae simile aut non nimis saltem ab eius similitudine abhorrens efficiatur [20]). Bergkius

[15]) cf. prolegom. pag. 83. — [16]) præfat. ad Theognid. pag. 47. — [17]) ibid. pag. 48. — [18]) ibid. pag. 49. — [19]) cf. schediasma de Th. pag. 6. — [20]) ibid. pag. 7.

denique iudicat: Gegenwärtig liegt uns nicht etwa eine Sammlung der Elegien des Theognis vor, sondern wir haben es zu thun mit einer chaotischen Masse von Fragmenten, welche bald diesen, bald jenen Elegikern von Tyrtæus bis auf Euenus hinab und vielleicht noch weiter angehören, welche aus allem Zusammenhang herausgerissen sind, oft eine ganz andere Beziehung erhalten, mit völlig fremdartigen Bestandtheilen zusammengeschmolzen sind. Einen klaren Blick in den Zustand dieser Sammlung eröffnen uns die anderwärts vollständig erhaltenen Elegien jener Dichter, welche hier in dürftigen Resten bald da, bald dort auftauchen[21]). Bruchstücke und Trümmer sind es durchgehends, nur in größerem und geringerem Grade entstellt[22]). — Quibus cum iudiciis alii quoque viri docti consentiunt.

Sed quo testimonia virorum doctorum, cum ipsa collectio magna voce unius se esse poetae neget? An unum putas poetam tot versus aut eosdem aut paululum mutatos repetiisse, tot versus inter se pugnantes scripsisse, tam solute sententias inter se iunxisse? Quid quod huic collectioni satis magnus eorum versuum numerus inest, quos aliorum poetarum, ut Tyrtæi, Mimnermi, Solonis, esse aperte a veteribus traditum est[23])? Nonne hoc firmissimum nostrae sententiae argumentum est? Nam ut hi versus irrepserunt, sic alios aliorum poetarum receptos esse quominus putemus, quid est, quod obstet?

Sunt vero, qui veterum scriptorum afferant testimonia, quibus non genuinam esse hanc collectionem probent, veluti Schneidewinus, qui scribit: arguit (sc. disiecti membra poetae) testimoniorum fides vetustorum. Nam auctore Xenophonte apud Stob. Flor. LXXXVIII, 499. Gesn. constat initium duxisse Theognideorum collectionem, qualem illius ætatis homines versabant, ab eis versibus, quos nostri codices inserunt a vv. 183—190. Et vv. 237 sq. pristini συναθροισμοῦ eorum, quae ad Cyrnum scripta fuerunt, finem fecisse sagaciter viri docti perspexerunt[24]). Idem fere dicit Bergkius in ed. poet. lyric.[25]).

---

[21]) Rhein. Museum III. pag. 213. — [22]) ibid. pag. 220. — [23]) Exempla infra afferentur. — [24]) cf. præf. ad Theognid. pag. 47. — [25]) cf. adnot. ad Theognid. v. 183 sq.

At hæc recte se habere nego, etsi commendari videntur verbis Stobæi hæc scribentis[26]): Ξενοφῶντος(?) ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος. Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως· οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων καὶ ἔστιν ἡ ποίησις [σύγγραμμα][27]) περὶ ἀνθρώπων, ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειεν περὶ ἱππικῆς. Ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν· ἄρχεται γὰρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι· ᾤετο γὰρ οὔτε ἄνθρωπον οὔτε τῶν ἄλλων οὐδὲν ἂν ἀγαθὸν εἶναι, εἰ μὴ τὰ γεννήσοντα ἀγαθὰ εἴη· ἔδοξεν οὖν αὐτῷ παραδείγμασι τοῖς ἄλλοις ζώοις χρήσασθαι. ὅσα μὴ εἰκῇ τρέφεται, ἀλλὰ μετὰ τέχνης ἕκαστα θεραπεύεται, ὅπως γενναιότατα ἔσονται. δηλοῖ δ' ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν· Κριοὺς κ. τ. λ.[28]) ταῦτα τὰ ἔπη λέγει τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐπίστασθαι γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων κάτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι. οἱ δὲ πολλοὶ ἐκ τούτων τῶν ἐπῶν οἴονται τὸν ποιητὴν πολυπραγμοσύνην τῶν ἀνθρώπων κατηγορεῖν καὶ ἀντὶ χρημάτων ἀγένειαν καὶ κακίαν ἀντικαταλλάττεσθαι εἰδότας[29]), ἐμοὶ δὲ δοκεῖ ἄγνοιαν κατηγορεῖν περὶ τὸν αὐτῶν βίον.

Nam huius loci auctor, quisquis est, — non enim Xenophontem fuisse pro certo affirmaverim — omnem Theognidis ait in vita moribusque hominum versari poesin. Pertinet igitur ad philosophiam atque ad eam partem, quae ἠθικῆς nomine appellatur. Atqui ut omnes philosophos principium rationemque, unde exorsi disciplinam suam quasi exstruant, habere oportet, ita huius poesis, quae tota in philosophia versatur, auctor hominum genus atque originem repetit, quo præcepta sua fundet; videntur enim ei boni, qui a bonis creentur, qui a malis, mali, id quod bestiarum exemplo probatum it, ut versus allati docent. Atque hoc totius fundamentum poesis Stobæi auctor ἀρχήν vocat, quae vox et «initium» et «principium» significat[30]) sæpissimeque a philosophis usurpatur[31])

---

[26]) cf. l. l. — [27]) glossema esse videtur desumptum ex sequenti συγγράψειεν. — [28]) cf. Theogn. 183—190. — [29]) ὡς ἀντὶ χρημάτων α. κ. κ. ἀντικαταλλάττεσθαι εἰωθότων legendum esse videtur Bergkio ad h. l.; ego pro εἰδότας coniicio αὐτούς, ut καὶ . . . . αὐτούς sit ἐπεξήγησις vocabuli πολυπραγμοσύνην. — [30]) „initium“ constat id significare, quod primum est, sed re subsequenti tollitur; „principium“ rem primam, quae eadem subsequentium causa est. — [31]) cf. Diog. Lært. proœm. 13. 20. Thales I, 1, 27:

item atque a Latinis «principium»[32]): quod quidem fundamentum ut a more ac consuetudine antiquorum abhorreat, tantum abest, ut sæpius maximeque in civitatibus Doricis in usu fuerit, quae hac potissimum re continebantur[33]); idemque toti Theognidis poesi subiectum esse, ubivis in libro videbis. Igitur auctor, quem Stobæus exscripsit, nihil aliud nisi sibi quoque illud poetae principium probari atque placere dicit.

Hac loci interpretatione admissa iam omnia optime se habebunt; nam et verba ἀρχὴ τῆς ποιήσεως apto eoque proprio sensu dicta sunt neque verba δηλοῖ δ᾽ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν, quae, si ἀρχὴν τῆς ποιήσεως primam elegiam interpretaris, valde mira sunt, — certe enim φησὶ γάρ vel simile quid exspectabas —, quidquam habent offensionis. Nec minus difficultas, quae eadem interpretatione probata in verbis ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν inest, remota est. Annon mirandum est, si auctor, cuius verba Stobæus asservavit, primam sibi dicit probari elegiam, quasi omnes reliquae ei displiceant? Accedit, quod hac demum, quam nos dedimus, loci interpretatione accepta controversia illa, quae auctorem inter aliosque Græcos intercessit, clara rectaque luce offulgetur. Quae cum ita sint, omnis illa de alio, qui Xenophontis ætate fuisse perhibetur, ordine virorum doctorum sententia concidit; nam ἀρχὴν τῆς ποιήσεως, quem ad modum nos accipimus, prima statim elegia enarratam atque expositam fuisse non necesse est[33a]).

ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο, quod Vitruvius vertit: omnium rerum principium aqua. Anaximand. II, 1, 1. Anaximand. II, 2, 1. Suidas s. v. cf. præterea Demosth. olynth. 2, 10. — [32]) Cicero eodem sensu ac significatu „initia“ habet cf. Academ. poster. I, 7, 26. 11, 39. — [33]) cf. Alcæum 41: χρήματ᾽ ἀνήρ, πενιχρὸς δ᾽οὐδεὶς πέλετ᾽ ἐσλὸς οὐδὲ τίμιος. Pind. Tyth. 8, 62: φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα. Aristot. pol. I, 6 (Bekk.): τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ εὐγενείας· αὐτοὺς μὲν γὰρ οὐ μόνον παρ᾽ αὑτοῖς εὐγενεῖς, ἀλλὰ πανταχοῦ νομίζουσιν. — — ὅταν δὲ τοῦτο λέγωσιν, οὐδενὶ ἀλλ᾽ ἢ ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διορίζουσι τὸ δοῦλον καὶ ἐλεύθερον καὶ τοὺς εὐγενεῖς καὶ τοὺς δυσγενεῖς· ἀξιοῦσι γάρ, ὥσπερ ἐξ ἀνθρώπου ἄνθρωπον καὶ ἐκ θηρίων γίνεσθαι θηρίον, οὕτω καὶ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθόν· ἡ δὲ φύσις βούλεται μὲν τοῦτο ποιεῖν πολλάκις, οὐ μέντοι δύναται. Horat. IV, 4, 29: Fortes creantur fortibus et bonis; | Est in invencis. est in equis patrum | Virtus; neque inbellem feroces | Progenerant aquilae columbam. — [33a]) cf. etiam

Neque plus ex Platonis[34]) colligi potest loco, quo alii[35]) utuntur, ut illius atque huius ætatis carminum Theognideorum ordinem diversum fuisse comprobent.

Sed etiamsi hac disputatione argumenta, quae viri docti ex aliis scriptoribus sumpserunt, futilia esse cognoverimus, aliud tamen restat, quo diversitas huius, qui nunc exstat, atque ipsius Theognidis libri luculentissime probari nobis quidem videatur, rationem dico, qua alia alia excipiant poematia. Et de hac quidem carminum nectendorum ratione iam Welckerus egregiis suae editionis prolegomenis[36]) disseruit aliique secuti sunt[37]). Nuper hanc rem accurate tractavit Fr. Nietzsche in Mus. Rhen. XXII pag. 161 sq., qui repetitionibus maxime pressis totam, quae exstat, collectionem confectam esse putat singulorum similitudine verborum carmine carmini ab aliquo adnexo. Cui suo iure adversatur Fritzsche in Philol. XXIX pag. 526 sq., qui, Nietzschii sententia ut stet, nimiis repetitionibus opus esse sæpiusque carmina, quae simillima habeant verba, non iuxta se posita, sed aliis paucis separata legi demonstrat. Accedit, quod Nietzschius sæpe nimis consueta ac communia verba ad nexum faciendum adhibere cogitur. Quae cum ita sint, ad hanc quæstionem, quae quidem maximi in hoc poeta momenti est, recurrere atque, quid ipse sentiam, exponere non alienum putavi.

Atque huius quidem coniunctionis cardo qua in re vertatur, nec difficile est dictu et ab aliis aliis quoque in scriptoribus observatum est[38]). En habes rem omnem! Sententiae ac singula poematia nectuntur similitudine et verborum et rerum; nec vero similitudine tantum, sed etiam diversitate rerum contrariarum;

Leutsch. Philol. XXIX pag. 519 sq., qui Stobæi locum ex diversis fragmentis conflatum esse et ποίημα poema significare ratus omnia, quae v. d. inde consequi voluerint, denegat: Xenophontis locus non est. — Cum nostra interpretatione consentire videtur van der Mey, studia Theognidea, pag. 6: Xenophon tantum ad rem, quae Theognideae poesi subjecta est, animum attendit. — [34]) cf. Men. pag. 95 D c. 36; cuius loci de interpretatione cf. infra, ubi de Platone agemus. — [35]) cf. e. g. Bergk. ad v. 435. — [36]) pag. 105 sq. — [37]) cf. Schneidew. præf. pag. 52: incerto casui tantum concessum fuit iuris, ut, qui mos fuit veterum Grammaticorum, ex similitudine litterarum fragmina iuxta collocata appareat, cf. etiam van der Mey. — [38]) Kœchly in Hesiodi oper. et di. Hand. observ. crit. in Catull. pag. 18.

quid quod etiam versus adduntur, qui iudicium quoddam de rebus præcedentibus ferre videantur? Quae quidem iungendi ratio non passim, sed ubique per totum librum æque reperitur. Pauca carmina maximeque, id quod bene animadvertas velim, Cyrni nomine insignita ut interdum sine iunctura posita videntur, ita alia ex eis apta sunt; non nunquam etiam simillima longiore separantur intervallo; id quod iam videbimus.

Librum Theognidis constat initium cepisse a versibus 19—22[39]), quippe quibus signum, quo Theognidis poemata agnosci possint, prodatur[40]). Quibus præmissas vides invocationes deorum atque preces; quae cur ab auctore huius sylloges primo loco positae sint, in aperto est: ab Jove principium. Neque obscurum est, cur Apollinem invocet, ut qui artium litterarumque antistes deusque tutelaris sit atque Alcathoi, Megarorum conditoris, auxiliator[41]) (1—4). Apolline autem invocato non iam mirum est, quod versus 5—10 additi sunt, qui ex hymno in Apollinem Delium scripto desumpti videntur. Eadem ratione sequitur Diana, Apollinis soror, filia Latonae (11—14); cui, ut chorus expleatur, subiunguntur (15—18) Musae et Gratiae, quae ut in Apollinis et Dianae comitatu esse solent, ita ipsae litterarum deae perhibentur.

Versus igitur 19—22, ut id repetamus, totius libri initium fecerunt; qui cum Cyrni nomine insigniti sint, alii et ipsi ad Cyrnum scripti adiunguntur; quorum prioribus (27—38) admonitiones præceptaque de vita bene instituenda et de sociis recte eligendis ita dantur, ut rei publicae ratio habeatur; posterioribus (39—60) de rei publicae statu ac condicione agitur. 61 sq. adduntur propter Πολυπαΐδη (57. 61) et ἀπάτας (67), quae quidem vox ad antecedens ἀπατῶσι (59) refertur. Quibus versibus (61—68) quae sententia exponitur, fidem aliis hominibus in rebus gravibus haberi non posse, ea vv. 69—76, qui præterea verbis inter se cohærent, continuatur. Vv. 69 sq.: μήποτε et μηδένα (61), σπουδαῖον πρῆγμα et χρῆμα σπουδαῖον (65). 73: πρῆξιν et πρῆγμα (70). 75: παύροισιν et παῦροι (74).

Vv. 77—94 cum præcedentibus copulati sunt; sed eidem no-

---

[39]) cf. Bergk. ad v. 27. — [40]) de interpretatione horum versuum cf. infra. — [41]) cf. Theog. 773 sq.

vam inferunt sententiam, quae usque ad v. 132 pertractatur, præcepta dico de amicitia observanda. 77: πιστός et πίσυνος (75) et πιστός (74). 79: παύρους et παύροισιν (75), πιστούς (80) et πιστός (77). χαλεπῇ διχοστασίῃ (78) et χαλεποῖς πρήγμασι (80). 83: τούτους οὐ χ᾽ εὕροις et παύρους εὑρήσεις (79). 87: πιστὸς ἔνεστι νόος. 91[42]): γλώσσῃ διχ᾽ ἔχει νόον cf. 87. 95: ἑταῖρος (95. 91), γλώσσῃ (91. 96). 101: φιλῆσαι (89) et φίλος (95. 97). 105: δειλούς et δειλός (102). 113: κακὸν ἄνδρα φίλον et κακὸν ἄνδρα φιλῆσαι (101)[43]). 115: ἑταῖρος et φίλος (113). 117: propter sententiae similitudinem cum vv. sq. 119: κιβδήλοιο et κιβδήλου (117); ceterum 117 sq., c. 119 sq. iungendi videntur. 131—2 parentes bonos infidis amicis opponunt.

Versus 129—130, qui nomine Πολυπαΐδη cf. Κόρνε (120) cum prægressis cohærere videntur, transitionem faciunt ad aliam partem, qua de deis, «auctoribus malorum ac bonorum», agitur, qui «malis» quoque divitias donant, recusant virtutem (133—218). Atque 129—130 adscripti sunt ad vv. 133 sq., ut qui rem inde consectariam contineant. 143 sq. iunguntur vocabulis οὐδεὶς cf. 133, ἀθανάτους cf. θεοὶ (134); præterea inest nomen Πολυπαΐδης; ceterum ad vv. 145 sq. adscripti videntur. Idem valet de vv. 145 sq., qui præterea sententiam proferunt similem. 149: ἀρετῆς cf. 147. 151: θεὸς κακὸν ὤπασεν ἀνδρί cf. 149. 153: ὕβριν cf. 151. 155 sq. non cohærent nisi fortasse verbis: πενίη et ἀχρημοσύνη cf. κόρος et ὄλβος. 159: μήποτε cf. 155. 161 eiusdem sunt argumenti et c. 160 iungendi. 165: νόσφιν δαίμονος cf. 161 sq., præterea πενίη et πενιχρός cf. 155 et οὐδεὶς ἀνθρώπων (159 160). 167: ὄλβιος οὐδεὶς ἀνθρώπων cf. 165. 169: θεοί cf. δαίμων (161 et 166). 173: πενίη cf. 165, aut non cohærent, ceterum cum his coniungendi sqq. 183: Κόρνε cf. 181 similisque argumenti. 191: γένος-μίσγεται cf. 190. 193: χρήμασι cf. 186. 197: χρῆμα. 209: non coniuncti. 211: κακόν cf. ἀνιηρότατον (210). 213: φίλους cf. 209. 215: ὀργήν cf. 214.

Versus, quos supra tractavimus, priorem quae hodie exstant, carminum Theognideorum partem appellari licet, quae ab altere

[42]) 91 sq. a 90 seiungendi et cum 93—94 coniungendi; v. 86 continuant; item 95 sq. cum 97—100 iunxi. — [43]) ceterum 100—114 unum carmen videtur.

eo distinguitur, quod hac pluribus versibus eadem sententia continuatur, illa poematiis singulis singulae res absolvi solent, paucis, de quibus suo loco disputabimus, versibus exceptis. Ac qui hanc partem incipiunt versus 219—220, non coniuncti sunt. 221 referuntur ad 213 sq. cf. ποικίλα. 227: ἀφροσύνῃ (230) cf. 221 et 223. 233: sine iunctura, nisi forte putas vinculum esse vocabulum κενεόφρονι cf. ἀφροσύνῃ (230). 235: Κόρνε. Sequuntur 237—38: vv. 239—41 ad αὐλός (235) referuntur; Κόρνε 247 et 253 cf. 234. 255: τυχεῖν cf. 253; præterea sententia similis atque antecedentium: τερπνότατον. τοῦ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν. Idem valet de 257 deque 261: παιδὶ τερείνῃ cf. 257: ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη. 267 causam antecedentium (261 sq.) afferre videntur: paupertas despecta est. 271: τῶν πάντων δὲ κάκιστον etc. cf. 270 et 277: paupertas summum malum est; sed qui hos versus addidit, haud scio, an versus 261 sq. respexerit ita, ut iudicium de puella parentibus non obœdiente sibi ferre videretur. 279: κακόν et κακῶς cf. 273, aut non cohærent. 283 sq.: τιθεῖν cf. 282. 289 sq. non cohærent. 293 sq. cum præcedentibus iungendi videntur. 295 aut exemplum ad v. 291 sunt, aut propter συμποσίῳ (298) cf. κρέα δαίνυται (293) additi. 299: non cohærent.

Versus 301 sq. et 303 sq. ita prægressis appositi esse videntur, ut generale quoddam præceptum inde derivent. 305: κακοί et ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν cf. 300, 309 ex 306 sq. apti sunt. quibus convivii notio subest cf. 31 sq.; ceterum εὔφρων et καρτερός cf. 301. 313: ἐν μὲν μαινομένοις cf. ἐν μὲν συσσίτοισιν 309. 315: non cohærent cum antecedentibus, sed cum sequentibus. 319: ἔμπεδον αἰεί cf. 317 et πλοῦτον (321 et 315). 323—346, qui ipso nomine Κόρνε cum præcedentibus et inter se iunguntur, haec præterea vincula habent. 329: θεῶν cf. 328. 331: ἥσυχος ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν cf. βραδὺς εἶλεν διώκων (329). 333: non cohærent; item 335 et 337. 341: ἀλλὰ Ζεῦ τέλεσόν μοι δός μοι cf. Ζεύς μοι δοίη τίσιν (337). 351 sq., haud scio, an propter paupertatis notionem, quae in vv. 346 sq. inest, additi sint; præterea φιλεῖς cf. 337. 355: non cohærent; 355—362 nomine Κόρνε inter se cohærent et iungendi videntur. 363: τῖσαί νιν cf. 362. 365: γλώσσῃ etc. cf. εὖ κώτιλλε (363). 367: νόον cf. 365. 371 sq. sine iunctura cum prægressis videntur. 373: φίλε

(372) et νόον cf. 367. 381 sq. adnotatio alicuius de antecedentibus esse videntur. 383 sq. vv. 373—380 continuant. 393: πενίῃ cf. 384 sq. etc. 399 sq. cum 393—398 iungendi sunt.

Vv. 401 sq. sequuntur propter v. 404, quocum cf. 386. 407: ἥμαρτες cf. 404 et φίλτατος cf. 399 et γνώμης cf. νόος (395). 409: vinculum non video. 411 cf. 409; vide præterea 410 et 412. 413—414 cum 415 sq. iungendi videntur; δύναμαι et ἑταῖρος cf. 411 et 412. 419: δύναμιν cf. 415. 421: γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκειντα cf. σιγῶ (420). 425: non cohærent cum antecedentibus, sed cum sequentibus. 429: φῦσαι cf. φῦναι (425). 439: νόον cf. 435; ceterum aliquis hos versus de prægressis adnotasse videtur. 441: non cohærent; nisi forte ἐσθλόν et κακόν vincula sunt cf. 431. 447 sq. sententia antecedenti contraria: ego omnibus in rebus perfectus sum, qua de magniloquentia aliquis vv. 453 sq. adscripsisse videtur. 457 sq. aut ad vv. 441 sq. aut ad 453 sq. adscripti esse possunt; cf. præterea οὔ τοι et οὐδείς (441). 461: νόον cf. 454 et 435; ceterum 461—462 quasi iudicium de vv. 457 sq. ferunt. 463—464 prægressis contrarii sunt: noli moliri difficiliora — difficilioribus rebus gloriam assequeris; præterea χρῆμα cf. 462. 465 sq. quasi explicant verba: χαλεπῷ δ' ἔργματι κῦδος ἔπι (464). 467: μηδένα cf. 461; præterea sententiam vv. 465—466 illustrant. 497 sq. similis sunt argumenti. 499: ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον cf. 497—498.

Sed haec hactenus; nam eadem cura et diligentia totum librum persequi longum est ac non necessarium, eoque minus, quod intelligentibus satis superque de versuum in Theognide nectendorum ratione persuasisse mihi videor, incredulos vero ne pluribus quidem verbis adducere possum, ut credant. Satis est adnotasse eandem rationem per totum librum valere neque alteram partem, quae titulo ἐλεγείων β inscripta codice A servatur, exceptam esse. Ceterum in ipso Theognidis libro eas voces sententiasque, quae nexui inserviunt, propriis litteris distinxi, ut omnes facile videre possint, quid quoque loco mihi videatur. Etenim aut omnia me fallunt aut compositio libri quaestioni, quam instituimus, summi momenti est; nam recte progredientes inde concludere possumus, qua ratione quoque tempore hic liber confectus sit ac qui versus a Theognide facti sint, qui ab aliis.

Et primum quidem librum, qualis nunc est, a Theognide non profectum esse, non dubium videtur, quin omnibus ex eis, quae supra disputavimus, satis pateat. Potius aliquis primo obtutu putaverit eiusmodi collectionem ab eo institutam esse, qui sententias undique collectas ea, quam supra indicavimus, ratione in unum quasi corpus redegerit. Neque Theognidis nomen, quo hæc collectio inscribitur, obstet, cum magna versuum pars ex hoc poeta sumpta esse videatur, ut quasi fundamentum totius sylloges sit Theognidis poesis. A potiori autem, ut aiunt, denominationem fieri, aliis quoque in scriptis videmus[44]). Nec viri docti refragentur, qui ad unum omnes, ni fallor, hoc modo collectionem, quae nunc exstat, confectam esse consentiunt[45]), dissentiunt in quæstione, unde ille homo versus sumpserit.

Sunt enim, qui illum sine ullo Theognidis libro hanc syllogen conscripsisse putent[46]). At satis magna Theognidis versuum copia quin insit, ex eis, quae supra diximus, non est, quod dubitemus. Unde tandem sumptos eos esse existimabimus nisi ex ipso Theognide? Ex aliis, inquies, scriptoribus ei transscripti sunt. At qui sunt isti scriptores? Certe magnopere mirandum est, quod nunc eiusmodi scriptores non exstant. Præterea pulcher superiorum ducentorum versuum ordo[46a]) cum insequentibus versibus comparatus vix cum ista sententia consentire videtur.

Sed alii putant, etsi Theognidis liber adhibitus sit, tamen hanc syllogen esse consarcinatoris et epitomatoris, qui omnibus,

---

[44]) cf. Schœmann. pag. VII: Et quod in scenicorum sententiis collectis factum videmus, ut versiculi e pluribus excerpti omnes ab unius, qui maiorem numerum præbuisset, nomine Menandri appellantur, idem etiam in elegiacis factum esse, ut Theognidis dicerentur, quorum maior tantum pars ex hoc, non panci autem loci ex aliis sumpti essent, perquam credibile est. — Vide præterea P. Syri sententias. — [45]) ibid. pag. IV: Nimirum omnem hanc collectionem non sana quadam et severa ratione critica confectam esse manifestum est, sed institutam ab aliquo veterum poetarum studioso, qui quidquid ubique Theognideum ferri videret, nullo certo ordine, sed ut quidque occurrisset, fere ad modum eorum, qui hodie Alba quae dicuntur sibi conscribunt, in chartas coniiceret, non anxie de singulorum auctoritate sollicitus, neque aliena quaedam, modo ceteris non absimilia, adscribere veritus; cf. Schneidew. pag. 51. — [46]) cf. Welcker proleg. pag. 102. Schœm. sched. pag. IV. — [46a]) cf. infra.

quae ad vitam moresque Theognidis pertinerent, resectis aut in brevius redactis sententias potissimum per Theognidis carmina sparsas collegerit; aliena quoque haud pauca quin receperit compilator, non dubitari posse, præsertim cum liber ipse locuples eius rei testis sit[47]). At hæc coniectura ne nobis prorsus probetur, id obstat, quod, quamquam nonnulla intercidisse negari non debet, tamen, ut Bernhardy in historia litteraria Græca adnotat[48]), nimiae eiusmodi res in reliquiis insunt, quas, si auctori in collectione instituenda illud consilium fuisset, non verisimile est irrepturas fuisse.

Quae cum ita sint, nobis constare videtur in hac, quae nunc exstat, carminum collectione conficienda librum Theognidis adhibitum fuisse, ita tamen, ut plures versus magis casu ac fortuito quam certa quadam ratione omissi essent. Namque ut carmina in brevius redacta esse probetur, illud adferri non potest, quod nomen Κύρνε sæpius in versibus continuis repetitur aut connexus sententiaque versuum aliorum alios subsequentium obscura est, cum id alio quoque modo explicari possit[49]). Utique vocabulum Κύρνε sæpius iteratum, non video, quid habere possit offensionis, ut omittam, quam non verisimile sit auctorem, quisquis fuit, tantum dedisse operae, ut versus in arctius redigeret[49a]).

Sed ita quæstio nondum ad finem perducta est: neque enim quemquam puto libro accuratius perlecto existimaturum hanc collectionem ab uno aliquo scriptam esse[50]): cui opinioni omnia repugnare videntur: diversus prioris ac posterioris partis ordo, magna poematum receptorum dissimilitudo, multae earundem sententiarum aut eisdem aut paululum mutatis verbis repetitiones, denique res

---

[47]) cf. Bergk. Rhein. Museum III pag. 221: der Epimator hat alles Persönliche abgestreift und nur die Summe allgemeiner Gedanken und Vorschriften zurückgelassen, also besonders Anfang und Ende der Elegieen, weil hier der Grundgedanke am entschiedensten hervortrat. — Rintelen pag. 41: Qui ordinem (collectionis) immutavit, pro libidine nonnulla omisit, id quod exemplis iam comprobavi. — Schneidewin. præf. 51. — Hertzberg in Prutz Litterat. hist. Taschenbuch p. 388 sq. — [48]) cf. Theognidem. — [49]) cf. Bergk ad vers. 27. — [49a]) Idem Leutsch Phil. XXIX p. 668. — [50]) cf. Rintelen p. 41: Verum idem (auctor) mihi quidem non unam tantum huius generis collectionem ante oculos habuisse videtur, sed duas vel plures etiam, unde nonnulla mutuatus est.

contrariae ac versus iudicium vel adnotationem quandam de antecedentibus continentes; quibus omnibus rebus, ni fallor, certe plures huius collectionis fuisse auctores coniicere cogeremur, nisi alia, qua hæc collectio confecta sit, ratio multo magis commoda atque in promptu esset.

Theognidis poematis antiquis temporibus magistros ad pueros in schola instituendos usos esse ut a veteribus scriptoribus traditum [51]), ita a viris doctis sæpe dictum est [52]). Quare amplioris de hac re disputationis operae optimo iure supersedere possumus; præstat quærere — id quod ab omnibus adhuc omissum videtur — num quid usus scholasticus ad Theognidis carmina immutanda et corrumpenda contulerit, num hoc fortasse modo corrupta, quam nunc præbet, condicio eius explicari possit.

Et qualem quidem fortunam Theognis in scholis expertus sit, quis est, quem fugiat? Videri licet ex Hesiodo, quem et ipsum «pueros elementa docentem occupavit balba senectus». Nonne libri, qui ἔργα καὶ ἡμέραι inscribitur, ordo turbatissimus, non eadem, quam supra in hac collectione demonstravimus, ratione sententiae sententiis assutae sunt ac continuantur [53])? Similis fuit sors aliorum, quibus magistri in scholis utebantur, librorum sententiarum, veluti Publilii Syri et Senecae [54]). At, inquies, Homerus in scholis versatus [55])

---

[51]) cf. Isocr. ad Nicocl. 43 p. 23: σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θέογνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν· καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων, ταῦτα δὲ λέγοντες αἱροῦνται συνδιατρίβειν ταῖς ἀλλήλων ἀνοίαις μᾶλλον ἢ ταῖς ἐκείνων ὑποθήκαις. — Plutarch. de princ. phil. p. 777 c: τουτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι cf. Gell. N. A. 1, 3, 19: hoc profecto nemo ignoravit, et priusquam Theognis, quod Lucilius ait, nasceretur. — Div. Chrysost. erat. 2, 3: ἴσως δέ τινα αὐτῶν (sc. poetarum) καὶ δημοτικὰ λέγοιτ' ἄν συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις, καθάπερ οἶμαι τὰ Φωκυλίδου καὶ Θεόγνιδος· ἀφ' ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος (i. e. rex). — Cyrill. c. Julian. VII, pag. 224 Spanh. de Theognidis, Phocylidis, Isocratis, versibus concedit eos esse: χρηστομαθῆ, ψιλὰ καὶ κεκομψευμένα, ὁποῖά περ ἂν καὶ τίθαι κορίοις καὶ μὴν καὶ παιδαγωγοὶ φαῖεν ἂν νουθετοῦντες τὰ μειράκια. — [52]) cf. Schneidew. præf. 51. Rintelen pag. 34. — [53]) cf. editionem a Kœchly curatam, ubi voces copulantes distinctis litteris expressas vides. — [54]) cf. Teuffel, histor. litt. Rom., I edit., pag. 349, 3. — [55]) Vetustissimum testimonium est Xenophanis ap. Herodian. in Cram. Anecdot. Ox. III, 296. Dracon. p. 33.

neque immutatus corruptusve est? Istud quidem verum, sed in Homero res aliter se habet atque in scriptoribus, quos diximus; is enim poeta non solum omnium notissimus — multi enim inde ab antiquissimis temporibus eius versus memoria tenebant [56]) — publicisque exemplaribus ab omni immutatione tutissimus erat [57]), verum, id quod gravissimum est, non singulas sententias tradit, sed res gestas, quas immutari difficilius est.

Quae si recte animo reputaveris, non iam dubium tibi erit, quin Theognis, pariter atque Hesiodus et sententiae Latinae, faciem, qualem nunc gestat, in scholis acceperit, «ut nec pes nec caput uni reddatur formae». Atque hæc coniectura, quae illorum exemplorum ratione habita per se haud improbabilis videtur, argumentis quoque fulciri potest. Primum enim valde mirum est, quantopere codices in numero versuum, quos exhibent, inter se differant, cum alii fere alium habeant numerum, veluti Mutinensis 1389, unus e Palatinis 64 [58]). Etiam scriptores veteres, ut Athenæus, plures, quam in codicibus insunt, versus noverunt. Id optime ex usu scholastico Theognidis explicari posse videtur, cum, ut Schœmannus l. l. dicit, collectionem alii modo totam modo aliquam eius partem descripserint, pro suo quisque lubitu et consilio. Hæc scribenti Schœmanno scholae non in memoriam venit, sed ibi hæc maxime usu venire quis non videt?

Aliud nostrae sententiae idque gravissimum argumentum ex ipsa natura atque indole huius collectionis, qualem supra adumbravimus, desumi potest: quae eiusmodi est, ut aliter vix ac ne vix quidem intelligi possit. Omnem enim rem nobis ita animo fingimus. Eos, qui primi Theognide usi sunt, poetae carmina habuisse aut omnia aut plurima consentaneum est [59]). Cum vero libri nondum essent, sed magistri pueris versus dictarent docerentque oporteret [60]), factum est, ut ab aliis alii versus, qui institutioni aut

[56]) cf. Athen. 14, p. 620, b. — [57]) cf. Wolf, proleg. in Homer. XXIII, 29. — [58]) cf. Schœm., sched. p. 4. — [59]) Bergk, Mus. Rhen. III, epitomatorem sive diasceuasten putat nostram syllogen ex ipso Theognide excerpsisse. — [60]) cf. Plato legg. VII, pag. 811, D et E: ἀδελφὰ τούτων τῶν λόγων μὴ μεθιέναι τρόπῳ μηδενί, γράφεσθαι δὲ κ. τ. λ.; sed plerumque magistri discipulis libros dederunt cf. Plat. Protag. p. 325 E et 326 A. Omnino magistri antiquitus etiam librarii fuerunt cf. Plut. Alc. 7. Aelian. v. h. 13, 38; qui

non necessarii aut non apti putarentur, omitterentur, alii, qui aut verbis aut sententiis similes aut contrarii pueris aliqua ratione prodesse viderentur, aliunde reciperentur in contextum atque adderentur [61]). Neque a more consuetudineque scholae abhorrent ei versus, quos iudicia quaedam de rebus antecedentibus ferre vidimus; constat enim inter omnes versus melius firmiusque memoriae inhærere quam pedestrem orationem [62]). Itemque mos scholae tulit, ut et magistri et discipuli versus ipsi facerent poetae versus imitantes [63]), qui sæpius in contextum recepti esse videntur. Denique in schola necesse est, si qua poeta similia aut inter se repugnantia dixerit, ea inter se conferri et pueris explicari [62]); quos quidem versus in margine a magistro (aut discipulo) adscriptos esse non veri dissimile videtur. Ad hæc cf. in universum Plut. de aud. poet.

Ita factae sunt illae omissiones et aliena additamenta, ita mira illa coniunctio sententiarum, id quod, ut ad hanc rem recurramus, eo potissimum confirmatur, quod et certa quædam carmina sine iunctura sunt et quasi cardines, quibus versus a magistris additi vertuntur, et versus eadem vocabula continentes sæpius non statim alii alios excipiunt; hi enim a magistris ad marginem adscripti postea non semper suo loco, pauci quidam etiam ante versus, ad quos adscripti erant, in textum recepti sunt, ut v. 315 sq. 425 sq. alii, — ita multae aut eorundem aut paululum mutatorum distichorum repetitiones, ita denique tota versuum Theognideorum collectio, quae certe ita comparata est, qua pueri Græci omnibus virtutibus, i. e. καλοκἀγαθίᾳ, imbuti sint [64]). Neque cur Theo-

---

mercede quadam libros commodabant aliis cf. Diog. Lært. III, 66, quos ipsi scripsisse videntur; quid, quod alii libris negotiati sunt? cf. Suidas s. v. λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Postea librorum scriptores et venditores exstiterunt, quos Aristomenes et Cratinus comici primi vocant cf. Pollux VII, 211. Ita libri magis magisque divulgati sunt et bibliothecae institutae a singulis cf. Diog. L. IX, 40. Athen. I. p. 3 a. Strabo XIII, 54. Xenoph. Mem. 4, 2, 1. I, 6, 14. Anab. VII, 5, 14. Sed alii servos libris scribendis habebant, ut Euripides Cephisophontem cf. Vit. Eurip. et Aristoph. Ran. 945. 1048. 1452; cf. præterea Gell. N. A. II, 18. — [61]) cf. Plato legg. VII, 810 E et 811. — [62]) Simile quid cf. Plat. legg. VII, 811 E. — [63]) cf. Plutarch. de aud. poet. 2, p. 16; similes res est in oratoribus, quorum in orationes multae exercitationes scholasticae irrepserunt cf. e. gr. Demosth. or. XXIX, 47 sq. c. or. XXVII, 55 sq.; XXIX, 44 sq. c. XXVII, 44 sq. — [64]) cf. Aeschin. c. Chesiph. 73. Isocr. ad Nicol. 3, 15.

gnidis libri altera ab altera parte differat, in obscuro est; namque non tam initia libri quam insequentes partes corruptelis scholasticis obnoxiae esse et additamentis augeri solent, præsertim cum, quo longius progrediuntur, eo plus repetendae materiae magistris præbeatur. Accedit, quod alterius partis argumentum non æque generale fuisse videtur eoque minus ad scholae usum et magis ad magistrorum mutationes accommodatum. Sed etiam nunc, ut infra videbimus, ordo quidam sub vasta disturbatione latet [64a]).

Hoc modo cum paulatim novus ac non ubique idem Theognis confectus esset, is «ita evaluit, ut ab omnibus librariis cum religione propagaretur» [65]). Verus Theognis mox oblivione obrutus est atque, cum omnes Theognidem scholasticum verum genuinumque putarent, neglectus periit: scholasticus ad hæc tempora mansit. Sed ut Theognidem, ita alios poetas in scholas admissos esse inter omnes constat [66]), quamquam postea — nulli enim præter Hesiodem extare videntur — a Theognide, qui ferebatur, magis magisque expulsi et oblitterati esse putandi sunt. Qui libri cum similis fere ac Theognis naturae indolisque essent, quid mirum, si in duobus pluribusve idem versus recepti erant? Atqui inde postea de auctoribus versuum dubitationes, quae satis multae sunt, oriri potuerunt. Eo pertinent, quae Rintelenius [67]) ad v. 147 adnotat: qui versus usu demum in proverbium tritissimum abiisse videtur, quod Aristotelis tempore haud dubie pueri in scholis ediscebant cf. Michael Ephesium ad h. l. [68]), quae dubitatio de auctore facillime oriri potuit, si utriusque poetae versus uno libro coacti erant, ita ut non accurate distingui possent. Melius putes vv. 147—8 in duobus poetis scriptos fuisse, quod per se verisimillimum est. Idem etiam in alios versus cadit cf. 153 [69]). 795—6 [70]). 255—6 [71]) etc.

[64a]) cf. infra III. — [65]) verba sunt Schneidew. præf. p. 51. — [66]) cf. quae supra de usu scholast. Theog. diximus. — [67]) cf. p. 34. — [68]) cf. Michael Ephesium in Comment. ad h. l. p. 61, qui Theophrastum in primo περὶ ἠθῶν hoc distichon Theognidi, in primo autem τῶν ἠθικῶν Phocylidi tribuere docet. Welker. — [69]) cf. Clem. Alex. Str. VI p. 620 Theognidem ait Solonis versum τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται, ita ut in libris nostris legitur, immutasse. — [70]) Ut Mimnermi est in Anthol. Planud. p. 120 Steph. et Pal. T. II. p. 20. — [71]) cf. Aristot. Eth. Nicom. I, 9 Deliacum epigramma vocat; Eth. Eudem. I, 1.

Ita ratione, qua ea, quae nunc exstat, carminum Theognideorum sylloge probabili modo orta sit, cognita iam quæstio de eius ætate instituenda est, quae haud ita difficilis videtur. Namque ex eis, quae supra disputavimus, sponte apparebit ab ipsa illa, qua Theognis in scholas receptus est, ætate hanc collectionem inchoatam neque ad finem et umbilicum perductam esse nisi longo temporis spatio interiecto. Quodsi tempus definire volumus, quod in hanc collectionem conficiendam insumptum est, facere non posse videmur, quin id tempus, quod, dum finis ei imponeretur, præteriisse probabile sit, indicemus. Id vero reperiemus, si diversorum temporum scriptoribus, qui versus Theognidis laudant, deinceps cum nostra sylloge comparatis viderimus, quid simile, quid diversum habeant, initio ab antiquissimis facto.

Atque horum scriptorum agmen ducit Plato, qui duobus locis [72]) Theognidem laudat. Quibus ex locis is memoratu dignissimus est, qui in Menone legitur. Vv. enim 33—36 laudatis Plato: ἐν ἄλλοις δέ γε ὀλίγον μεταβάς pergens vv. 435 sq. nostrae editionis addit. Quaeritur igitur, num transitus a vv. 33 sq. ad vv. 435 sq. verbis ὀλίγον μεταβάς designari possit; quod si iure negaverimus, equidem puto rem ita componi posse, ut existimemus Platonem Theognidis versus nondum tot alienis additamentis inquinatos habuisse; ita enim cum vv. 435 sq. propius ad 33 sq. accesserint, Plato suo iure ὀλίγον μεταβάς dicit. De altero loco, ex quo nihil confici potest, cf. quae infra in Theognidis vita disputabimus.

Platonem sequitur Aristoteles, qui plures Theognidis versus [73]) laudat; ex quibus, ut ex Platonis, apparet Aristotelem certos

---

[72]) Men. p. 95. D. c. 36 laudantur vv. 33—36 et 435 sq. legg. I p. 630 A vv. 77. 78. — [73]) vv. 31 sq. in Ethic. Nicom. IX, 9 et 12 ed. Bekk., 147 sq. ibid. V, 3 verbis καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν additis, quibus indicatur hos versus iam tum in proverbium abiisse, id quod etiam Michaelis Ephesii ad h. l. adnotatione confirmatur cf. supra p. 16. Vv. 125 sq. leguntur Eth. Eudem. VII, 2; ibid. III, 1 vv. 177 sq.; versus 14 ibid. VII, 10. Vv. 255—6 memorantur Ethic. Nicom. I, 9 et Ethic. Eudem. I, 1, ubi Aristoteles eos Δηλιακὸν ἐπίγραμμα vocat. Versus 472 sq. ter in Aristotele exstant: Rhet. I, 11, Metaph. IV. 5, Eth. Eud. II, 7: quorum priore loco Arist. non affert, ex quo auctore distichon sumpserit, duobus posterioribus Euenum laudat.

quosdam versus, qui hodie exstant, apud Theognidem nondum legisse; unde sequitur Theognidis librum Aristotelis ætate multo magis quam hodie alienis additamentis caruisse.

Proximus est Xenophon, qui duobus locis [74]) Theognidis versus ita affert, ut de Theognidis collectione, num a nostra distulerit, nihil effici liceat.

At alius, ut volunt, superest Xenophontis locus, qui a Stobæo III, 167 (88, 14) exhibetur; is an genuinus sit, valde dubito. Nam ubi hic locus apud Xenophontem legitur? Non enim inest in eis, quos nos habemus, Xenophontis libris. Itaque alii in deperditorum Xenophontis librorum numero libellum, qui περὶ Θεόγνιδος inscriberetur, fuisse putant; alii in commentariis, quos lacunosos et corruptos esse constet. Stobæi verba scripta fuisse persuasum habent; alii denique Xenophontis nomen per errorem irrepsisse coniecerunt [75]). Ac sane mirum est eum librum, si Xenophon scripsit, nusquam commemorari, ne a Diogene quidem Laërtio, qui Antisthenem eiusmodi libellum composuisse affert [76]). Neque magis probabile est hunc locum Memorabilibus infuisse, cum totius loci natura atque indoles memorabilibus repugnet, ne addamus ipsum titulum Stobæi: ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος obstare videri. Nonne præterea, ut hoc quoque moneam, Xenophon in commentariis aliter de nobilitate sentit atque auctor loci, quem Stobæus exscripsit [77])?

Sed quicunque auctor huius loci est, certe ex eo concludi potest illius ætate Theognidis collectionem nondum ita, ut nunc, interpolatam fuisse. Cum enim scriptor dicat: οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων, καὶ ἔστιν ἡ ποίησις [σύγγραμμα] περὶ ἀνθρώπων, ea verba quin de nostra sylloge dici nequeant, dubium non est.

Idem sequitur ex Isocrate, qui, ut Nicocl. p. 18 b, ubi ei versus 303 obversatus esse videtur, missum faciam, eiusdem orationis p. 23 homines ita natura comparatos esse dixit, ut bona laudarent, facerent mala: σημεῖον δ' ἄν τις, inquit auctor, ποιήσαιτο

---

[74]) cf. Mem. I, 2, 20 auctore non nominato. Symp. II, vv. 35—36. — [75]) cf. Xenoph. ed. G. Sauppe. vol. V appendix altera 1. — [76]) cf. Diog. L. VI, 16. — [77]) cf. memor. IV, 4, 22. — Ceterum cf. Leutsch. Philol. XXIX p. 519 sq.

τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν· καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων, ταῦτα δὲ λέγοντες αἱροῦνται συνδιατρίβειν ταῖς ἀλλήλων ἀνοίαις μᾶλλον ἢ ταῖς ἐκείνων ὑποθήκαις: quae quidem verba non magis de nostra collectione dici possunt quam Stobæi, quae modo tractavimus.

Ex Theophrasto denique unus exstat locus, quem Michael Ephesius in comment. ad Aristot. Eth. Nicom. V, 1 attulit dicens Theophrastum in primo περὶ ἠθῶν libro vv. 147—8 Theognidi, in primo περὶ ἠθικῶν Phocylidi tribuere. Id Theophrastus non tam memoria lapsus fecisse videtur, sed, ut supra diximus [78]), quod illos versus et apud Phocylidem et apud Theognidem, quibus quidem in scholis utebantur, legerat neque, cum alterum locum scriberet, alterius meminerat. Quod si fecisset, num dubium est, quin aliquid de diverso illorum versuum auctore adnotaturus fuerit? Ex hoc igitur loco cum satis luculenter appareat iam tum temporis generales quasdam sententias ex aliis in alios receptas esse poetas, quid obstat, ne hoc in Theognidem quoque cadere arbitremur?

Ex insequentibus, quae supersunt usque ad Christum natum, sæculis duo Scholiastarum exstant testimonia [79]); sed cum inde non multum de statu condicioneque carminum Theognideorum concludi posse videatur, eis omissis præstat, quae in universum de Theognidis ante Christum n. condicione nobis coniicere licet, ea in brevi conspectu ponere: Theognidis liber usque ad Chr. n., etsi non ab omnibus omnium generum interpolationibus integer erat, tamen maioribus quaeque a morali, ut ita dicam, poetae indole abhorrerent additamentis intentatus simpliciorem quandam et uniformiorem speciem, quam hodie, præbuit. De contextu et perpetuitate versuum a veteribus nihil traditum est, sed librum elegantiorem et concinniorem fuisse docent et tot alienorum versuum inopia et maior

---

[78]) cf. supra pag. 16. — [79]) cf. schol. ad Soph. Oed. Col. 1225, ubi vv. 425 sq. laudantur, et schol. ad Thucyd. II, 43: τὸ νόημα παράδοξον καὶ ἐναντίον τῇ κοινῇ συνηθείᾳ· Θέογνις γὰρ ὁ ποιήσας τὰς ὑποθήκας φησί· χρὴ πενίην κ. τ. λ. (cf. vv. 175 sq.). τούτῳ οὖν ἐναντίως ὁ Περικλῆς ἀποφαίνεται· καὶ σκόπει τὴν ἀκρίβειαν τῆς ἑρμηνείας, ὅτι καὶ τῆς εἰρημένης τοῦ Θεόγνιδος ὑποθήκης λανθανόντως ἐμνήσθη καὶ ᾐνίξατο, εἰπὼν τὸ δικαιότερον.

sententiarum, quae inerant, numerus, id quod ex ipsis antiquis scriptoribus sequitur [80]).

Idem fere ex scriptoribus primi et secundi et tertii sæculi post Chr. n. de Theognide statui potest, quamquam dubium non est, quin etiam plures sententiae, quae quidem similis ac Theognideae erant argumenti, in collectionem receptae sint. Certe παιδικά et συμποτικά et alia id genus carmina Theognidem nondum deformaverunt neque tot, quot nunc exstant, aliorum poetarum versus irrepserunt.

Et Plutarchus quidem γνωμολογίας Θεόγνιδος commemorat [81]), ita tamen, ut inde vix quidquam, quod in nostrum usum vertamus, effici posse videatur. Sed integriore quam nos versuum Theognideorum editione Plutarchum usum esse inde intelligitur, quod aliorum poetarum versus, qui in nostra collectione Theognidi assignantur, a Plutarcho non Theognidi, sed illis, quorum sunt, poetis tribuuntur [82]). Alii versus, quos Plutarchus ex ipso Theognide laudat, omnes in nostra sylloge leguntur [83]).

Iam prætermissis Artemidoro [84]) et Theodoro [85]), ex quibus nihil colligi posse videtur, ad Dionem Chrysostomum progrediamur, cuius in secunda oratione 3 hæc legimus: ὅτι δοκεῖ μοι, ὦ πάτερ, οὐ πᾶσα ποίησις βασιλεῖ πρέπειν, ὥσπερ οὐδὲ στολή· τὰ μὲν οὖν ἄλλα ποιήματα ἔγωγε ἡγοῦμαι τὰ μὲν συμποτικά, τὰ δὲ ἐρωτικά, τὰ δὲ ἐγκώμια ἀθλητῶν τε καὶ ἵππων νικώντων, τὰ δ᾽ ἐπὶ τοῖς τεθνεῶσι θρήνους, τὰ δὲ γέλωτος ἕνεκεν ἢ λοιδορίας πεποιημένα, ὥσπερ τὰ τῶν κωμῳδιοδιδασκάλων καὶ τὰ τοῦ Παρίου ποιητοῦ· ἴσως δέ τινα αὐτῶν καὶ δημοτικὰ λέγοιτ᾽ ἂν συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις, καθάπερ τὰ Φωκυλίδου καὶ Θεόγνιδος· ἀφ᾽ ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος;

---

[80]) cf. quae infra de Stobæo dicemus. — [81]) cf. de aud. poet. 2. — [82]) cf. vv. 227 sq. Plut. de divit. cup. 524 E; vv. 315 sq. vit. Sol. 3; vv. 719 sq. Sol. 2: quae omnia Solonis sunt. Vv. 427 sq. Non posse suav. vivi sec. Epic. 21 Eueno tribuit, assentiente Aristotele cf. supra. — [83]) cf. Plat. Quaest. p. 1000 C. vv. 432 sq.; de amic. mult. extr. p. 96 F vv. 215 sq. cf. etiam Quaest. nat. 19 p. 916 C, de sol. anim. 27 p. 978 E; de comm. notit. 12 vv. 175 sq. cf. et. de Stoic. contradict. 14 et adv. Stoic. 22.; de aud. poet. 22 vv. 177 sq. — [84]) cf. 1, 32 vv. 177—8. 1, 66 vv. 509 sq. [85]) cf. Therap. T. IV p. 712 vv. 77 sq., ibid. V p. 71 vv. 425 sq. Welcker.

Hæc verba, nisi omnia fallunt, gravissimum argumentum præbent Dionem in eis, quos noverat, Theognidis versibus carmina neque συμποτικά neque ἐρωτικά neque ἐγκώμια neque θρηνητικά neque γελωτοποιητικά legisse [86]), quorum in nostra collectione satis magna copia inest, etsi sine dubio iam multae morales, ut ita dicam, sententiae aliunde intrusae erant. Præterea Dio v. 432 auctore non nominato laudat [87]).

His auctoribus breviter Galeno [88]) et Luciano [89]) et Clemente Alexandrino [90]), quorum ex scriptis de Theognide aut paulum aut nihil effici potest, adiunctis videmus omnia, quae supra diximus, vera esse. Nam etsi confitendum est interpolationes similium sententiarum iam satis late patuisse, tamen per hæc quoque tria sæcula nondum turpibus carminum amatoriorum et convivalium et aliorum id genus additamentis corruptus est Theognis, quibus insequenti ætate quasi situ quodam magis magisque obductus est.

Nam proximus, quem in crisin vocamus, auctor, Athenæus, nos docet illa ætate iam carmina et erotica et convivalia et ænigmata in Theognidis collectionem irrepsisse; id quod versibus, quos laudat, satis comprobatur [91]). Quamquam ex eisdem versibus constat alteram, quam habemus, partem inde a vv. 1231 sq., quae παιδικά complectitur, nondum Theognidi adscriptum fuisse; nam si fuisset, Athenæum apparet pro vv. 993 sq. ex illa parte multo probrosiora et obsceniora allaturum fuisse [92]). His igitur, qui inde a vv. 1231 sq. leguntur, versibus demptis nihil obstare videtur, ne eandem fere, quae etiamnunc exstat, collectionem in suum usum adhibuisse Athenæum existumemus [92a]); omnis enim color ac tenor illius

---

[86]) cf. Schœm. l. l. p. 5. Welcker proleg. p. 75. — [87]) cf. I p. 2. — [88]) cf. T. I fol. 168, 41 Ald. vv. 509 sq. — [89]) cf. de merc. cond. 5 et Apol. 10 vv. 177 sq. — [90]) cf. Strom. V p. 677 vv. 31 sq. VI p. 623 vv. 457 sq. ibid. p. 622 vv. 509 sq. ibid. p. 625 vv. 199 sq.; ubi Eurip. Med. 516 sq. comparat. IV p. 483 vv. 175 sq. III p. 517 vv. 425 sq. VI p. 620 vv. 309 sq. ibid. vv. 153 sq., ubi adnotat: Σόλωνος δὲ ποιήσαντος· τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν πολὺς ὄλβος ἕπηται, ἄντικρυς ὁ Θέογνις γράφει· τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν κακῷ ὄλβος ἕπηται. — [91]) cf. vv. 997 sq. et 993 sq. cf. VII p. 310 a et b; vv. 215 sq. cf. VII p. 317 a; vv. 477 sq. cf. X p. 428 c et d; vv. 229 sq. cf. X p. 427 b; vv. 205 cf. XII p. 513 d; 457 sq. cf. XIII p. 560 a. — [92]) cf. Welck. proleg. p. 76. — [92a]) cf. Bergk, Rhen. Mus. III p. 406: Athenæus wenigstens scheint nur unsere Sammlung zu kennen.

collectionis idem ac nostrae fuisse videtur, etsi, ut versus, qui in nostro libro desunt, infuisse verisimile est [92b]), ita aliis, qui hodie insunt, maximeque obscenis caruit. Quocum consentiunt etiam duo alii Athenaei loci [93]), qui eodem iure de nostra collectione dici possunt.

Eiusdem fere modi collectio putanda est, quam Iulianus adhibuit, ad quem iam transeamus, Eusebio [94]) et Sexto Empirico [95]) et Themistio [96]) et Basilio [97]) et Harpocratione [98]), ex quibus paulum lucramur, praetermissis. Is enim Iulianus [99]) Theognidem cum Phocylide et Isocrate Salomonis proverbiis praeferre se profitetur. Ad quae Cyrillus hos poetas concedit scripsisse χρηστομαθῆ, φιλὰ καὶ κεκομψευμένα, ὁποῖά περ ἂν καὶ τίτθαι κορίοις καὶ μὴν καὶ παιδαγωγοὶ φαῖεν ἂν νουθετοῦντες τὰ μειράκια. At haec quin Cyrillus non scripturus fuerit, si novisset carmina cum reliqua omnia, quae nunc exstant, amatoria et convivalia, tum, quae liber Mutinensis servavit, παιδικά [100]), non dubium est, etsi non omnia, quae de amore et vino canunt, carmina his verbis excluduntur [101]).

Claudit agmen Stobaeus, cuius aetate Theognis aeque immutatus et corruptus erat atque nunc est; non enim aliorum tantum poetarum versus, qui hodie insunt, iam recepti erant, sed etiam carmina amatoria et convivalia aliaque ludicra irrepserant. Sed cum Bergkius [102])

[92b]) cf. Athen. X, 457 b. — [93]) cf. Athen. VII p. 310, ubi de Theogn. versibus ὑποθηκῶν nomen usurpat, et XIV p. 632 d, ubi de accurato metro sermo est, ubi μηδεὶς στίχος est ἀκέφαλος μήτε λαγαρὸς μήτε μύουρος. — [94]) cf. Prot. Ev. p. 574 C. vv. 77 sq. — [95]) cf. Pyrrh. Hyp. III, 24, 231 auctore non nominato. — [96]) cf. Or. 21 p. 248 vv. 183 sq. et or. 22 p. 265 vv. 79—80. — [97]) cf. or. ad iuven. ante Grotii floril. p. 107 vv. 1155—6 et orat. ad adolesc. p. 127 vv. 227 sq., quos tamen Soloni tribuit. — [98]) cf. s. v. Θέογνις, ubi vv. 783 sq. laudantur. — [99]) cf. Cyrill. c. Iul. VII p. 224 Spanh. — [100]) cf. edit. nostr. inde a vers. 1231 sq. — cf. Rintelen p. 40, qui idem sentit. — [101]) cf. Schœmann. p. 5: Denique etiam Iuliani imperatoris aetate gnomologiam quandam Theognideam ab huiusmodi (sc. amatoriorum et convivalium et aliorum ludicrorum) additamentis puram superfuisse suspiceris. — [102]) cf. Mus. Rhen. III p. 396 sq. Bergkii argumenta haec fere sunt: 1) die Abweichungen der Lesarten sind nicht von Belang und nicht besser. 2) die Distichen, die St. mehr citirt, können in unsern Hds. ausgefallen sein: Venet. 2 hat manche Lücken. 3) die verschiedene Aufeinanderfolge der Distichen bei St. ist nicht von Belang, da auch unsere Hds. in dieser Beziehung abweichen. 4) St. führt die Verse

accurate de hac re egerit, non est, quod denuo quæstionem tractemus, eoque minus, quod in universum cum Bergkio consentimus Stobæum nostra vel nostrae simillima sylloge usum esse. Sufficit addidisse Stobæi librum, ut Athenæi, maiorem quam nostrum habuisse versuum numerum, id quod satis declarant versus, qui in nostra collectione desunt, ab illo laudati [103]). Necdum altera, quae ἐλεγείων β' inscribitur, pars priori adiuncta fuisse videtur, cum nullo loco versus huius partis ab eo afferantur. Sed hoc non ita multo post factum esse inde elucet, quod in codice Mutinensi, quam perantiquus est, ea iam leguntur [104]). Suidas quoque ea novit [105]).

Sed per idem temporis spatium, ut alieni versus irrepserunt, ita veros intercidisse ac periisse, non est, quod multis moneamus. Ita omnes, qui quidem ad Theognidis carmina collectionemque cognoscenda aliquid conferant, scriptores inspeximus. Atque ex hac quæstione videmus per longum temporis spatium Theognidem paulatim eam accepisse faciem, quam nunc exhibet. Et initio quidem usque ad Dionis Chrysostomi ætatem corruptelae leviores et germano Theognidi consimiliores fuerunt; tertio vero p. Chr. n. sæculo interpolationes maximae et violentissimae fuisse videntur, quippe quo tempore carmina amatoria et convivalia et alia id genus irrepserint ac Theognidem ei, quem nunc habemus, similiorem reddiderint. Quinto denique p. Chr. n. sæculo, Stobæi fere ætate, collectio nostra in universum confecta est; tum enim iam omnes omnium generum interpolationes insunt; nec meliore editione undecimo sæculo Suidas [106]) usus est. Atque hæc collectio paucis fortasse

---

anderer Elegiker, die in unserer Sammlung unter dem Namen des Theognis erscheinen, ebenfalls als Verse des Theognis an, cf. 585—590, obwohl er auch die vollständige Elegie des Solon an anderem Orte anführt; das Bruchstück hat andere Lesarten als die ganze Elegie: also benutzte er hier eine andere Quelle, dieselbe, die auch unserer Sammlung zu Grunde liegt. 5) die Reihenfolge, in welcher St. diese Stellen des Theognis anführt, beweist, dass jene Compilation ganz so geordnet war, wie die unserige. — [103]) cf. Stob. VIII, 9. XXI, 1. LXVII, 4. XI, 1. — [104]) paulo aliter Rintelen p. 40: satis comprobatum esse puto non genuinam esse hanc collectionem neque antiquitus Theognidi adscriptam. Quamquam antiquorum versus insunt, non mihi ante Stobæi ætatem collectio hæc alteri Theognidis nomine inscriptae addita videtur etc. — [105]) cf. Suid. s. v. Θέογνις. — [106]) cf. Suid. s. v. Θέογνις: ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος.

aut additis aut demptis versibus in libris exstat, quos nunc habemus[107]). —

II.

Quoniam supra de versuum Theognideorum collectionis compositione, origine, ætate exposuimus, proximum est, ut quæramus, quid inde ad cognoscendum, quæ carmina Theognidis quæque aliorum sint poetarum, sequatur. Quae quæstio quam difficilis aleaeque plena sit, etsi haud ignoramus, tamen non omittenda abiiciendaque est, præsertim cum non omnibus, ut primo quidem obtutu videtur, opibus adminiculisque destituti simus.

Nam primum non dubium est, quin ea poemata, quae ab ipsis veteribus aliis auctoribus, ut Soloni, Mimnermo, aliis, tribuuntur, a Theognide abroganda sint; itemque repetitiones eorundem versuum et sententiae aliis contrariae et omnes versus, qui aperte iudicium de prægressis ferunt: accedunt denique carmina amatoria, convivalia aliaque ludicra, quae, ut supra vidimus, ne Dio quidem aliique apud Theognidem legerunt [1]). Hæc omnia sine dubio ex Theognide eiicienda sunt.

Sed his ademtis qua tandem nota reliqui versus cognosci possunt, utrum Theognidis sint necne? Neque enim in hac quæstione multum eo adiuvamur, quod quædam carmina ab aliis auctoribus Theognidis nomine laudantur, cum horum numerus versuum satis exiguus sit, neque ea, quam supra indicavimus, nectendi ratione nixi omnes difficultates expedire possumus. Nam magnopere cavendum est, ne nimios in similitudinibus indagandis nos præstemus, quoniam ea quoque, quae eiusdem aut carminis aut carminum partis sunt, similitudinem quandam et verborum et rerum prae se ferunt.

---

[107]) Bergk, Mus. Rhen. III p. 406: Ich glaube, etwa im ersten Jahrhundert n. Chr. oder im Anfang des zweiten ist unsere Sylloge entstanden. — Rectius Schneidewin, p. 52: exstabat autem hic ordo iam sæculo XI, quo Suidas lexicon suum comportavit. — Similiter Schœmann l. l. p. 5 putat Suidae auctores collectionem nostrae similem habuisse. — Nietzsche Mus. Rhen. XXII p. 177 sq. 184 sq. putat hanc collectionem post 433 et ante Stobæum, i. e., altera quinti p. Chr. sæculi parte, factam esse.

[1]) cf. supra p. 20. Aliter Leutschius Philol. 1870. XXIX p. 515, qui hos quoque versus Theognidi tribuit: ceterum cf. infra. — De repetitionibus et parodiis cf. van der Mey, studia Theognidea p. 17 sq.

Quare periculum est, ne, quae communi inter se vinculo a poeta ipso iuncta sunt, aliena putes atque illa, quam diximus, ratione inter se conglutinata ac composita iudices; quae si feceris, quin in devium abeas, dubium esse non potest. Quid quod latet, si alia indicia desunt, quae ex quibus apta sint? Sed cave, ne haec ita disputata accipias, ut me fructum, quem inde ad quæstionem solvendam capimus, despicere putes, quippe qui ipse has res minime neglexisse mihi videar: id ago, ut omnia vera luce offulgeri velim, qua optime veritas adiuvatur.

Quae cum ita sint, perbene accidit, quod nobis in ipsis eis, quae Theognidis nomine traduntur, carminibus signum proditur, quo formae, quae dicitur, externae ratione habita versus Theognideos satis certo agnoscere possimus. Id inest in versibus 19—26, de quibus utpote ad hanc rem gravissimis accuratius tractandum est.

Sed antequam ad sententiam, quae his versibus subest, considerandam aggrediamur, adnotandum videtur hos versus, quos Bergkius aliique editores in unum coniunxerunt, non unum continuumque poema esse, sed ex duobus conflatum haud similibus. Sunt enim inter se iungendi vv. 19—22 et vv. 22—26. Cui coniunctioni libri non adversantur, quoniam, ut Bergkius dicit [2]), optimi tres codices sententias non distinguunt.

Hos vero versus ita, ut fecimus, disiungendos esse testantur ipsae sententiae, quæ toto cœlo inter se differunt. Nam versus 19—22 poeta gaudio poematum suorum elatus eiusmodi se usum esse sigillo dicit, quo omnes carmina sua agnoscere possint: ὧδε δὲ πᾶς τις ἐρεῖ. Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη. Quid vero vv. 23—26 sequitur? Apud omnes homines, inquit poeta, gloriosus civibus meis nondum probor; nec vero hoc mirum est, cum ne Iuppiter quidem omnibus probetur. Quae sententiae quid tandem inter se commune habent? Altera læta gaudiique plena, tristis solaciique plena altera [2a]).

Suspicio autem, quam de his versibus habemus, aliis rebus augetur. Versus enim 23—26 postea ab alio quodam homine additos esse primo declarant verba τοῦ Μεγαρέως, quae v. 23

---

[2]) cf. poet. lyr. II, Theognis, initium, ubi de codicibus sermo est. — [2a]) cf. Philol. 1870. XXIX p. 512, ubi Leutschius quoque hoc agnovit, etsi aliter expedit: Theognidi omnes tribuit ac coniunxit.

leguntur quaeque aperte interpolatorum manus produnt, quorum mos est, ut uno pluribusque vocabulis, quae quadrare videantur, ad praecedentia additis iam suam poesin proferant, ut passim in Homero vides [3]); certe, quam otiosa sint, intelliges, si similia aliorum poetarum comparaveris, veluti καὶ τόδε Φωκυλίδεω, μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου, καὶ τόδε Δημοδόκου etc. — declarant porro verba πάντες δὲ sq., quae quantopere editores exercuerint, videbis, si adnotationem criticam legeris [4]); sed bonum sensum nullis machinis extrices — declarant denique vv. 24—25, quos interpolator ex vv. 803—4 desumpsisse videtur, nisi aliunde cognitos huc adscripsit [5]).

Quodsi recte versus 23—26 exturbamus, restant versus 19—22, qui per se perfecti et absoluti optimum sensum habent. Neque dubium esse potest, quin Theognidis sint, quoniam poeta de se ipse loquitur suumque nomen versibus inseruit. Possumus igitur sine ulla dubitatione eos ad Theognidis poemata cognoscenda adhibere.

Sed quae est interpretatio horum versuum? Κύρνε, inquit poeta, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω τοῖσδ' ἔπεσιν, quae verba Welckerus [6]) ita intelligit, ut σοφιζομένῳ ἐμοὶ τοῖσδ' ἔπεσιν verbis «hisce versibus sententiarum mearum» explanet. At σοφίζεσθαι idem valet ac σοφὰ νοεῖν, σοφὰ πράττειν, σοφὸν εἶναι, ut σοφιζομένῳ potius ad prudentiam ac calliditatem, qua versus sibi conservet, referendum videatur. Rectius igitur ita vertas: «Cyrne» callido (vel potius callide agenti) mihi sigillum impressum esto hisce versibus. Quibus in verbis «callido mihi» positum esse pro illo «a me callido», vix est, quod memorem; potius videamus, quod sigillum Theognis versibus suis impresserit.

Atque editores omnes cum Κύρνε, quod nomen ab initio huius carminis positum est, ita intelligant, ut Cyrnum adolescentem a poeta appellari putent, alii aliud sigillum esse coniecerunt. Et Camerarius [7]) quidem: τὰ μὲν ἔπη ταῦτα, inquit, τῇ ἐμῇ σοφίᾳ ὥσπερ σφραγῖδι κατασημανθέντα εὔγνωστά τε καὶ διάδηλα ἔσται

---

[3]) cf. e. g. Od. 4, 553. 661. 726. 783. 5, 67. 84 etc. — [4]) cf. infra ad h. l. — [5]) Bekkerus ad v. 23: Corrupta est, inquit, lectio, quo minus fragmenta coaluisse duo pateret. — [6]) cf. adnot. ad h. l. — [7]) cf. adnot. ad h. l.

πᾶσι. Contra hæc Welckerus [7]) adnotat: nomen meum, inquit poeta, appono, quo tamquam sigillo hisce versibus sententiarum mearum impresso vindicentur illae ab imitatoribus aliena usurpantibus. Idem Schneidewinus [7]) descripsit. Bergkium [7]) quoque aliosque sequi comma post Κόρνε positum satis testatur.

Alia interpretatio est Leutschii in Philol. XXIX p. 511 sq. Is σφραγῖδα confirmatricem veritatis notam, quam vocis significationem apud scriptores musicos legi dicit, interpretatus τοῖσδ᾽ ἔπεσι dativum instrumenti esse vult: verba prudentia dicenti mihi (i. e. verbis meis prudentibus) confirmatrix veritatis nota hocce carmine impressa esto. Iam ad verba λήσει sq. subiectum τὰ σοφίσματα supplendum censet: numquam vero hæc prudentia verba de plebe clam tollentur; quae sententia sequenti versu accuratius explicatur: neque quisquam palam peiora permutabit (i. e. sibi parabit, leget), quoniam meliora adsunt; quisque enim dicet: Θεύγνιδος κτλ. Inde sponte apparet hoc carmen extremum collectionis totius fuisse.

At mihi neque Camerarii neque Welckeri sententia probatur; nam neque ad σοφιζομένῳ neque ad Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη illud σφραγὶς ἐπικείσθω referri potest. Neque magis Leutschio assentiri possum. Nam ut omittam eius interpretationem a natura ac simplicitate Theognidis abhorrere, quomodo hoc extremum carmen nota esse potest veritatis præcedentium confirmatrix? Theognidis nomine addito, inquit Leutschius. At unde L. scit Theognidem, cum hoc scriberet, iam tam clarum illustremque fuisse poetam, ut eius nomine apposito versus magis commendarentur verioresque viderentur? Deinde dubito, an verba ἐμοὶ μὲν σοφιζομένῳ et λήσει δ᾽οὔποτε κλεπτόμενα Leutschii interpretationem admittant; certe verbum ἀλλάξει repugnat. Num vero verba: ὧδε δὲ πᾶς τις κτλ., id quod L. vult, significare possunt: unusquisque, cum aliam sententiarum collectionem ab aliquo sumi s. emi viderit, statim dicet: «a Theognide quoque eiusmodi poemata facta sunt eaque meliora»?

Quae cum ita sint, scribo: «Κόρνε» σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφραγὶς ἐπικείσθω τοῖσδ᾽ ἔπεσιν: iam omnia perspicua erunt: ipsum enim vocabulum Κόρνε sigillum est, quod Theognis omnibus suis carminibus impressurum, quo omnia sua poemata signaturum se esse dicit, eo consilio, ut ab aliis surripi nequeant; nam omnes

homines illo sigillo audito poetae versus agnoscent et clamabunt: Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη[8]).

Hæc si recte disputata esse existimaveris, non dubium tibi erit, quin vv. 19—22, quibus poeta signum, quo poemata sua agnosci possent, legentibus indicaret, ab initio totius libri lecti sint. Id Valckenario[9]) quoque et Bergkio[10]) visum est, cum Jacobs et Welckerus[11]) et Leutschius hos versus in fine eclogarum positos fuisse suspicentur, quos Schneidewinus[12]) sequi videtur. Eiusmodi vero sigillo, ut hoc vocabulum retineam, uti, tantum abest, ut ab illa ætate abhorreat, ut omnibus fere et poetis et scriptoribus in more fuerit[13]); vide v. c. καὶ τόδε Φωκυλίδεω, μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου, καὶ τόδε Δημοδόκου; vide præterea hymn. in Apoll. Del. 165 sq., ἱερὸν λόγον Pythag. init., Eratosthenis carmen de cubi duplicatione fin., Hecataeum; Herodotum, Thucydidem, alios. Idem, quod hi scriptores omnes, Theognis fecit, eo discrimine, ut non nomen suum unicuique carmini præponeret, sed vocabulum Κύρνε, quod suum esse signum primis versibus profitetur. Inde illud quoque sequitur Theognidem ipsum suos versus in publicum edidisse, quod a nonnullis negatum lego[13a]).

Sed maioris momenti est, quod inde de Cyrno et Polypæde effici potest; quem omnes, ni fallor, poetae amicum adolescentem putant. Quid quod Schneidewinus codicem h., qui inscriptionem Θεόγνιδος Μεγαρέως γνωμολογία πρὸς Κύρνον πολυπαΐδην τὸν ἐρώμενον exhibet, secutus Πολυπαΐδην patronymicum, quod dicitur, Cyrni esse coniecit[14])? At si Κύρνε, ut ipse poeta dicit, signum est, quo sua carmina agnoscantur, eo nomine certum quendam hominem, ut familiarem aut necessarium, designari non oportet[15]). Quo vero consilio poetam ei patronymicum addidisse putas, præsertim cum nomen ipsum satis superque sufficeret? An omnino Πολυπαΐδην pars signi esse potest, quod poeta vocabulum in signo

---

[8]) Eodem modo Hartungium quoque h. l. interpretari postea vidi. — [9]) cf. adnot. ad Theocr. 1, 65. — [10]) cf. adnot. ad h. l. — [11]) cf. Welcker. ad v. 859. — [12]) cf. adn. ad h. vv. — [13]) cf. Valcken. ad Theocr. 1, 65. — [13a]) cf. Rintelen l. l. p. 27. — [14]) cf. l. l. præf. 50; idem Rintelen l. l. — [15]) cf. Welcker. p. 35 et 77 eandem fere profert sententiam, etsi Cyrnum signum fuisse eum fugit Theognidemque ab initio carmen didascalicum non condidisse.

proferendo memorare oblitus est? Eademque hac causa Πολυπαΐδης ne tum quidem cum nomine Κύρνος coniungi potest, si, id quod per se quidem non veri dissimile videtur, Κύρνον nomen amici Theognidis esse arbitraris. Quamquam hoc non ita esse facile intelliges; nam nonne tibi extra omnem dubitationem positum videtur, quin Theognis, si amici alicuius nomen pro suo poematis suis præposuisset eo consilio, ut signum, quo sua carmina agnoscerentur, esset, id eisdem illis versibus, quibus se voce Κύρνε ita usum esse profitetur, aperte indicaturus fuerit? Accedit, quod re vera per totum librum nomen Κύρνε non tam appellationis vice fungitur quam, id quod ex crebra ac frequenti eius repetitione sequitur, talis signi, quali alii poetae nominibus suis usi sunt [16]). Neque denique de eis locis, quibus poeta Cyrnum quasi amicum alloquitur, aliter sentiendum est ac de similibus poetarum Romanorum [17]) et nostratium, quos et ipsos carmina ac præsertim quædam præcepta ad commenticios quosdam homines dare videmus, quo magis veritatis speciem præbeant. Ipsum vero vocabulum Κύρνε, quo Theognis utitur, utrum nomen proprium sit an appellativum, certo diiudicari vix potest. Id nomen filii Herculis fuisse apud Herodotum legimus [18]). Tamen equidem Welckerum [19]) secutus κύρνον appellativum fuisse puto, derivatum a vocabulo κῦρος, quod summum discrimen, imperium, summam potestatem significat [20]). Ut κεδνός = κῆδος ἔχων, κυδνός = κῦδος ἔχων, ψυδνός = ψεῦδος ἔχων, κλειτνός = κλέος ἔχων, ita formatur κύρνος = κῦρος ἔχων. summam potestatem tenens, dominus, nobilis. Hoc vocabulo Megaris nobiles dicti esse videntur, quos poeta ipse v. 34 verbis «ὧν μεγάλη δύναμις» designat. Iam in aperto est, cur Theognis ipsum hoc vocabulum elegerit, quo versus suos insigniret. Quos cum ad nobiles scriberet, quid illo nomine aptius ac magis idoneum cogitari potest?

Quae cum ita sint, non longa disputatione opus est, ut argumenta, quibus Schneidewinus sententiam suam fulcire studet, refutemus: quorum alterum hoc fere est, quod duo nomina arctissime inter se iunguntur, verbi gratia vv. 53—60, alterum, quod

---

[16]) cf. quae supra p. 28 attulimus. — [17]) cf. Catulli Lesbiam, Propertii Cynthiam, Ovidii Corinnam etc., quae commenticia nomina sunt, maximeque Horatium. — [18]) cf. 1, 167. — [19]) cf. præf. p. 33. — [20]) cf. Herod. 6, 109.

utrumque nomen, Κύρνε et Πολυπαΐδη, in earundem fere sententiarum carminibus legitur [21]).

At ad prius argumentum responderi potest nomen Πολυπαΐδη, etsi novies [22]) in collectione exstat, ter [23]), ut recentiores editores coniungunt, in eodem carmine, quo Κύρνε, legi semperque pluribus versibus separatum. Et de vv. 19 sq. quidem supra diximus; si aliquo loco, certe hic Πολυπαΐδη nomini Κύρνε addendum erat; quod cum poeta omiserit, gravissimo est argumento Κύρνε et Πολυπαΐδη nomina nihil inter se commune habere [24]). Neque in vv. 53 sq. coniunctionem inter versus, qui nomine Κύρνε, et eos, qui nomine Πολυπαΐδη insignes sunt, tam arctam esse, ut seiungi nequeant, unusquisque videt. De tertio denique loco, qui vv. 183 sq. legitur, ipse Bergkius hæc adnotat: «189—192 coniunxi, quod Brunk quoque fecit, cum prioribus firmatque hoc Xenophontis locus, quamquam sane apud ipsum Theognidem post v. 190 alia plura videntur interiecta fuisse» [25]). Apparet igitur coniunctionem non ita arctam esse.

Neque alterum, quod Schneidewinus affert, argumentum firmius est. Omnes enim ipsi intelligent non mirum esse, quod moralia, quae dicuntur, et generalium sententiarum carmina certam quandam inter se affinitatem habent ac quodam modo coniungi possunt. Non igitur erramus, si Πολυπαΐδη a Κύρνε seiungendum omniaque carmina, quae ad Πολυπαΐδην scripta sunt, Theognidi abroganda esse putamus. Idem Welckero quoque visum est [26]).

Ita in ipsis Theognidis versibus alterum et, ut ita dicam, exterius repperimus argumentum, quo eius poemata agnoscere possimus; quod si cum altero, quod interius est, composuerimus, non dubitari potest, quin de plurimis nostrae sylloges versibus satis certo diiudicare liceat. At, fortasse inquies, hoc exterius argumentum non firmum est; nam multi versus, qui a posterioribus

[21]) cf. præf. p. 50. — [22]) cf. vv. 25. 57. 61. 191. 541. 79. 129. 143. 1197. — [23]) cf. 19 sq. 53 sq. 183 sq. — [24]) cf. Rintelen. p. 31: patronymicum propterea non coniungitur cum nomine proprio, quod molesta et otiosa duorum nominum inter se coniunctorum repetitio est, neque unum tantum nomen continuo usurpatur, quoniam hæc repetitio molestior etiam est (?!). — [25]) Schneidewinum ipsum video vv. 189 sq. a vv. 183—188 seiunxisse. — [26]) cf. proleg. p. 100 sq. — Ceterum de Polypæde cf. infra.

Theognidem fortasse imitantibus facti ac pacti sunt, falso Cyrni nomine inscripti esse possunt, cum alii, quae reliquiae sunt carminum longiorum, non iam illo signo utantur. Ad hæc respondendum videtur primum non verisimile esse versuum subditiciorum numerum tantum esse, quantum nonnulli arbitrantur [27]), eius dumtaxat generis, quod significavimus; deinde exterius et interius argumentum alterum alterum supplere eosque tantum versus, qui duobus argumentis satisfaciant, Theognidi tribuendos esse; denique si cuius carminis nec forma nec res abhorreant a more Theognidis, nos non intelligere, quidni id Theognideum putemus, ut quod poeta sit dignissimum. Idem in eos quoque versus cadit, qui non iam Cyrni nomine insigniti sunt; in quibus videndum est, num Cyrni appellationem admittant resque a Theognide non alienae sint; quibus postulatis qui satisfaciunt versus, eos quoque ipsi poetae adscribere non dubitabimus. Sed ut etiam facilius versus Theognidei agnosci possint, tertium accedit argumentum, quod et ipsum in rebus versatur.

Namque memoriae proditum est Theognidem Megaris, quae Atticae urbs fuit, oriundum esse ibique vitam egisse [28]); aliquamdiu in Sicilia eum commoratum esse ex Platone coniici licet [29]). Megaris vero, quae Dorensis civitas, ubi nobiles regnabant, fuit, anno 612, eodem fere tempore, quo Cylon Athenis, exstitit Theagenes, a plebe tyrannus factus ac mox ab eadem expulsus [30]). Neque insequentibus temporibus defuerunt plebem inter ac nobiles contentiones, quibus tum hæc tum illi victoriam reportaverunt; hae sextum ante Chr. sæculum explevisse videntur [30]). Atqui cum Theognidem veteres tradant inter Ol. 57—59 floruisse, ut eisdem temporibus vixisse putandus sit [28]), quid magis verisimile est quam eum in primis his pugnis interfuisse, præsertim cum in carminibus, quae ei adscribuntur, satis multa eius rei vestigia insint? Nam eo pertinent non solum ei versus, qui aperte res Megarenses canunt, sed etiam vocabula, quae in multis nostrae collectionis versibus leguntur,

---

[27]) cf. Rintelen. p. 31: Cyrni nomen in versibus spuriis quoque usurpatum est atque sæpius fortasse usurpatum, quam nos coniicere possumus cf. vv. 1355—6. — Id signum agnoscunt Hertzberg in Prutz' Litter. histor. Taschenbuch 1845 p. 327. et Hartung in præfat. edition. suae. — [28]) cf. infra vitam Theognidis. — [29]) cf. Plat. legg. I p. 630 et infra. — [30]) cf. quae infra de rebus Megarensibus disputabimus.

κακοί, δειλοί — ἀγαθοί, ἐσθλοί, non vulgari illo et ethico — quamquam hoc quoque sensu apud Theognidem leguntur —, sed civili et, ut ita dicam, politico sensu: ἐσθλοί vel ἀγαθοί sunt nobiles, optumates, δειλοί vel κακοί ignobiles, plebs; ita etiam ἀρετή de rebus civilibus usurpatur [31]). Hae vero significationes sunt partium factionumque ac turbidis potissimum temporibus existunt multumque valent, cf. Ciceronis vocabula boni et improbi [32]). Putamus igitur ea quoque carmina, in quibus res Megarenses et Siculae traduntur vel illa vocabula leguntur, nullo dubio Theognidis esse [32a]).

Ita argumenta et exteriora et interiora repperimus satis idonea, ut nobis videtur, ad Theognidis carmina cognoscenda; quibus si in versibus collectionis nostrae iudicandis utemur, primum videndum erit, num neque repetitiones neque contradictiones neque alia id genus additamenta sint; deinde, si id recte se habet, nonne res, quae insint, offendant atque abhorreant; tum, num Cyrni appellationem aut habeant aut admittant. Qui refragantur, ei omnes a poeta abrogabimus simulque ei, qui a veteribus aliis auctoribus attribuuntur. Hanc rationem secuti excludemus:

I. repetitiones et imitationes [33]): 23—26 cf. 801 sq. 49—50. 87—90 et 95—100 cf. 91 sq. 115—116 cf. 643 sq. [34]). 211—2 cf. 509 sq. [35]). 331—2 cf. 219 sq. 391—2 [35a]). 563—6 cf. 31 sq. 575—6 cf. 811 sq. 591—2 cf. 441 sq. 639—40 cf. 133 sq. et 161 sq. 645—6 cf. 360 et 632. 647—8 cf. 291 sq. 657—8 cf. 593 sq. [36]). 945—6 cf. 219 sq. et 331 sq. [36a]). 955—6 cf. 105 sq. 979—82 cf. 91 sq. et 643 sq. 1071—4 cf. 213—8 [37]). 1081—2 cf. 39 sq. 1103—4 cf. 608 sq. 1105—6 cf. 417 sq. [38]). 1151—2 cf. 323 sq. 1161—2 cf. 409 sq. [39]). 1165—8 cf. 69 sq.

---

[31]) cf. Welcker. proleg. p. XX, 8 sq. et XXIX. — [32]) cf. Sest. 47. 48. 49. etc. Sallust. Cat. 19, 2. Iug. 42, 2. — [32a]) Ita etiam Hertzberg l. l. p. 343, reliqui. Adversatur Hartung, qui hanc illorum vocabulorum significationem negat. — Ceterum cf. p. 5, not. 33 et indicem s. v. ἀγαθός κτλ. — [33]) cf. Welckeri parodias p. 80 sq. et van der Mey, studia Theognidea p. 17 sq. — [34]) Hartung. cancellis circumscripsit. Bergk. Phocylidi tribuit. — [35]) Bergk. cancellis sepsit. — [35a]) cf. infra h. l. — [36]) Hartung. 593—4 cancellis circumscripsit. — [36a]) Bergk. Soloni tribuit. — [37]) Bergk.: 1071—4 contracti sunt ex v. 213—18. — [38]) Welckerus parodiis adnumerat. — [39]) Welcker. parodiam putat.

II. versus aliis nostrae collectionis, quos Theognidis esse verisimile est, contrarios: 221—226, nam Theognis ubivis virtutem et iustitiam commendat cf. 145 sq. 29 sq. 281 sq. 267—70 cf. 173—182; ipsa ἀναφορά offendit. 271—8, nam non Theognidis est de senectute et adolescentia queri neque res in Theognidem cadunt[40]). 363—6 cf. 91 sq., qui alia docent[41]); præterea 365 περίφρασις v. 363 est. 367—70, nam abhorrent vv. 368 et ἄσοφος 370. 393—400 cf. 173 sq.; præterea similia leges 319 sq. et 441 sq. 419—20, qui a Theognide abhorrere videntur cf. 667 sq. 421—24 cf. 91 sq. et 359 sq. et 441 sq. 425—428, nam sententia prorsus aliena a Theognide cf. χρὴ τολμᾶν etc., quod sæpius occurrit. 447—452, qui nimis gloriosi sunt. 457—60, quia a Theognidis poesi abhorrent cf. Athen. 13 p. 560 a. 529—30, sunt enim similes versibus 447—452. 559—560, nam Theognis iterum iterumque magnas divitias optandas esse dicit. 561—2 cf. 337 sq., ubi de vindicta, non de spoliatione hostium sermo est. 619—20, qui non in Theognidem cadunt. 683—6, qui a recentiore facti videntur cf. 181 sq. et τὰ καλὰ ζητοῦσιν et 686. 699—718, quorum forma a Theognidis simplicitate mire quam abhorret. 823—4 cf. 1179—82. 887—8, qui a Theognide alieni sunt; similiter 889—90, et 891—4[42]), qui de rebus Euboicis agunt. 947—8, non enim in Theognidem cadunt, cum legislator de se suaque ratione loquatur. 1013—1016, quorum forma et sententia abhorret[43]). 1079—80, quia verba ἐχθρῶν — ἐσθλόν et δειλὸν — φίλον repugnant. 1107—8, qui a Theognide alieni sunt, itemque 1115—6 et 1123—8. 1153—6, qui inter se oppositi sunt[44]). 1157—60, qui posteriorem produnt et philosophum. 1169—70, qui alieni sunt a Theognide. 1187—90 cf. 727 sq. et 817 sq.; præterea oratio molesta. 1191—4, qui a Theognidis sentiendi ratione abhorrent: similiter 1195—6[45]).

---

[40]) Hartung. Mimnermo tribuit. — [41]) 366 infra 1030 legitur; itaque Hartung. cancellis circumscripsit. — [42]) Bergk.: hæc duo disticha a Theognide aliena. — [43]) Hartung. hos versus Mimnermo vindicat. — [44]) Hartung vv. 1155—6 Soloni vindicat: sed ne versus quidem 1153—4 Theognidis animum fortem et audacem prae se ferunt. — [45]) Welckerus nonnullos horum versuum epigrammatis (cf. 891 sq. 1115 sq. 1169 sq.), alios parodiis inseruit, alios συμποτικοῖς cf. 1153 sq. 561 sq. 1191 sq.

III. versus, qui sine dubio aliqua causa ad prægressos adscripti sunt: 153—4, qui Solonis sunt cf. Clement. Alex. Strom. VI. p. 740[46]). 165—6. 167—8, quibuscum cf. Solon. 14[47]). 197—208, qui additi sunt, quod versibus antecedentibus de pecunia comparanda sermo est: Theognidis eos non esse docet oratio, quae nimis verbosa est, et comparatio cum Sol. fragm. 13 et Hes. opp. et di. 320 sq.[48]) 283—8, in quibus repugnat πόλις κακόφρονος et universae res. Simillimi sunt vv. 367—70. 295—8, qui propter v. 291 additi videntur, ἀναιδείης exemplum inferentes. 301—2. 303—4. 305—8, nam hi κακοί non idem ac Theognidis sunt; posteriores versus esse videntur. 381—2[48a]). 401—6, quos præterea cf. cum vv. 383 sq. et 335 sq.[49]). 439—40. 461—2[49a]). 463—4. 465—6. 497—8. 499—502[49b]). 509—10. 525—6, qui præterea contrarii vv. 523—4. 535—6. 537—8. 547—8. 553—4. 555—6. 557—8. 571—2. 573—4. 577—8. 605—6[50]). 607—10. 615—16. cf. 167 sq. 617—18. 621—22. 623—4. 625—8, qui insuper inter se oppositi sunt. 633—4. 637—8. 641—2. 643—4 cf. 115 sq. 659—66, quorum 659 cum 657—8 coniungendus videtur; ceterum sententias omnes antea legimus cf. 133 sq. 155 sq. 161 sq. 687—98[51]). 729—30. 769—72. 797—8. 799—800. 801—4. 815—6. 831—2. 845—6 cf. 577. 857—60. 865—8, qui ad antecedentia adscripti sunt[52]). 901—2. 931—2. 957—8. 971—2. 991—2. 1023—4[53]). 1025—6. 1075—8. 1163—4.

IV. omnes versus amatorios: 237—54, qui nimis gloriosi sunt; summa totius elegiae in versibus 253—4 posita est, qui docent puerilem amorem intercedere inter poetam et eum, quem Cyrni nomine appellat: quare non dubito, quin hi versus ab homine posterioris ætatis facti sint, qui carminum Theognideorum divulgationem novisset et poetam Cyrnumque ea, quae ipsi maxime in promptu erat, familiaritate inter se coniungeret[54]). 257—60[55]).

[46]) Hartung. Soloni vindicat. — [47]) Hartung 165—8 Soloni vindicat. — [48]) Bergk: fortasse Solonis sunt. — [48a]) Emperio hoc distichon institicium videtur. — [49]) Bergk Phocylidi tribuit. — [49a]) Bergkius de auctore dubitat. — [49b]) Hecker Soloni vindicat. — [50]) Hartung Soloni tribuit. — [51]) 693—4 Hartung Soloni adscribit. — [52]) Bergk: fortasse Tyrtaei hæc sunt. — [53]) Bergk et Hartung: Mimnermi videntur. — [54]) Bernhardy hanc elegiam Theognidi abiudicat Hist. Gr. Litt. I, 148 et II, 2. 461. Hartung 237—46 Theognidi abrogat. Bergk Theognidi vindicat. — [55]) Hartung Cleobulo vel filiae Cleobulinae tribuit.

261—66[55]). 371—2. 579—80. 581—2, qui inter se contrarii sunt. 861—4 cf. 575 sq.[55]). 959—62, qui sunt de puerorum amore. 1091—1102. Accedunt omnes versus, qui inde a v. 1231 leguntur ac posteriorem ætatem olent; multi eorum ad exemplum versuum prioris sylloges facti sunt cf. 1243—4 et 597—8. 1263—6 et 237 sq. 1353—6 et 301—2. 1363—4 et 413—4; alii imitatione expressi sunt et repetuntur cf. 1255—6 et 1253—4 etc.; alii inter se contrarii sunt cf. 1367—8 et 1267—70 etc.; quid quod 1253—4 apud Solonem fr. 23 legitur? Non igitur sine causa hos versus omnes a Theognide alienos putabimus[55a]).

V. carmina, quae vinum canunt, gaudium ac lætitiam commendant, iuventutem præteritam et senectutem advenientem queruntur: 309—12, qui præterea contrarii sunt vv. 31 sq. et cf. 214. 313—4. 413—18. 503—8[56]). 527—8[57]). 531—2. 533—4[58]). 567—70[59]). 629—30. 789—92. 837—40. 841—2. 843—4. 873—6. 877—8[59]). 879—84[60]). 885—6. 939—42[59]). 943—4. 973—8[59b]). 983—8[59]). 989—90. 997—1002[59c]). 1007—12[59a]). 1039—40. 1041—2. 1043—4. 1045—6. 1047—8. 1049—58[59]). 1063—8 et 1069—70[59]). 1119—22. 1129—32[59]). 1207—8. Accedunt ænigmata 949—54 de puerorum amore[61]) et 1229—30, ad quos Athen. X p. 457 B adnotat: σημαίνει γὰρ κόγλον.

VI. omnes versus, qui nomen Cyrni neque habent neque admittunt, ac primum quidem:

1., qui aliis nominibus insigniti sunt, ut Polypæde[61a]) 23—26. 57—60, qui præterea infra 1109—14 auctiores leguntur, ad Cyrnum scripti. 61—68. 79—82. 129—30. 143—6. 191—2. 541—2. 1197—1202; quos omnes si accuratius consideraverimus, vix a nobis impetrare poterimus, ne putemus eos ab aliquo grammatico ex ipso Theognide desumptos atque Polypædae nomine inscriptos

---

[55a]) cf. præterea van der Mey p. 28 sq., qui tamen vix tibi in omnibus rebus probetur. — [56]) Bergk: fortasse hi versus Thaletae sunt. — [57]) Bergk: fortasse Mimnermi sunt. — [58]) Bergk. versus Archilochi esse putat. — [59]) Bergk: fortasse Mimnermi sunt. — [59a]) Bergk et Hartung Mimnermo tribuunt. — [59b]) Hertzberg Mimnermo tribuit ut 983. 567. 1007. 1063. 1069. — [59c]) Hertzberg Tyrtæo vindicat. — [60]) Hartung Chiloni vindicat; Bergk. Tyrtæo (eidemque Hertzberg) vel Polymnesto. — [61]) Hecker. Soloni vindicat. — [61a]) cf. supra p. 28 sq.

esse; — Simonide[61b]) 467—496. 667—682; — Onomacrito[61c]) 503—8; — Clearisto 511—22; — Therone 903—22; — Democle 923—35; — Academo[61d]) 993—6; — Timagora 1059—62; — Demonacte 1085—86; — Argyride[61e]) 1211—1216.

2., qui in deos scripti sunt[61f]): 1—4, qui hymnus est in Apollinem, id quod verba v. 4: σὺ δέ μοι κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδου satis superque docent[62]); itemque 5—10 et 15—18, at 11—14 epigramma est in Dianam, cuius simulacrum ab Agamemnone Aulide statutum esse fama tulit. 341—350. 373—380, quibuscum eiectis vv. 381—82 coniungendi sunt vv. 383—392[63]). 731—42 et 743—752[63]). 523—4 et 1117—8, ad Plutum directi. 773—782[63a]), ad Apollinem scripti. 1087—90, ad Dioscuros scripti[64]).

3., qui aliis de causis Cyrni nomen non admittunt: 351—4. 407—8, nam eiusmodi non est familiaritas, quam aliis locis videmus Theognidem inter et Cyrnum intercedere. 453—6, qui præterea ad 447 sq. adnotati videntur. 595—602. 649—52. 753—6. 757—768[64a]), de quibus infra in vita Theognidis plura disputabimus: memorant enim bella Persarum, quae Theognis certo non vidit. 825—30[65]). 851—2. 963—70. 1135—50, nam non Κύρνε, sed ὦ φίλε cf. 1138 inest: præterea omnis color ac tenor a Theognide alienus, quippe qui nimis querulus sit; similis est descriptio ætatis ferreae[66]). 1209—10[66a]).

VII. versus, qui ex aliis poetis in collectionem nostram irrepserunt: Solonis 227—232 cf. fr. 13, 71—76. 315—18 cf. fragm. 15. 585—590 cf. fr. 13, 65—70. 719—28 cf. fr. 24; accedunt 153—154, de quibus iam diximus cf. III. — Mimnermi 793—6 cf. fr. 7. 1017—22 cf. fr. 5. 1227—8 ap. Stob. XI., 1 leguntur præmisso nomine Μενάνδρου Ναννοῦς, ubi Mimnermi corrigendum est cf. fr. 8. — Tyrtæi 935—38 cf. fr. 12, 37—42. 1003—6

[61b]) Bergk et Hartung Eueno vindicant. — [61c]) Bergk. Thaletae esse putat. — [61d]) Bergk. Polymnesto Colophonio tribuit. — [61e]) Bergk Thaletae, Hartung Cleobulo tribuit. — [61f]) Hertzberg in Prutz l. l. p. 333 Theognidi vindicat. — [62]) cf. hymn. hom. XI, 5. XV, 9. XX, 8. XXV, 5. — [63]) Bergk: fortasse Solonis sunt. — [63a]) Hertzberg Simonidi vindicat. — [64]) Hartung Chiloni vindicat. — [64a]) Hertzberg Xenophanis esse putat. — [65]) Bergk: fortasse Callini sunt. — [66]) cf. Hes. opp. 176 sq. — [66a]) Hartung Cleobulo tribuit.

cf. Eleg. 12, 13—16. — 265—6 Aristoteles dicit Δηλιακὸν ἐπίγραμμα cf. Ethic. Nic. I c. 9[67]).

Ita omnes versus, qui aliqua de causa suspecti sunt, ex Theognide exturbavisse nobis videmur; qui restant, quin a poeta ipso profectos eos putemus, non est, quod dubitemus. Sed erunt, quibus Theognis, qualis ex nostris manibus prodiit, nimis circumcisus et brevis videatur. Hi reputent cum non nos in hac culpa esse, sed ipsas res iniquitatesque temporum, quibus Theognis tantam cladem accepit, tum multo præstare breviores easque certas ac veras alicuius poetae habere reliquias, quam multas ac dubias et falsas, cum ex illis veram poetae eiusque poesis imaginem adumbrari liceat, his in errores et opiniones deducamur. Quae cum ita sint, nos quoque videamus, quid ex eis, qui supersunt, versibus de Theognidis poesi coniicere ac concludere possimus. —

III.

Versibus Theognideis certa quadam ratione examinatis et spuriis a veris non sine probabilitate, ut nobis videtur, secretis, si breviter oculos ad originem nostrae collectionis rettulerimus, videbimus eam, qualem supra exposuimus, rationem hac disquisitione optime comprobari. Nam, ut supra iam diximus, quo alio modo existimas multas repetitiones, sententias contrarias, additamenta, versus aliorum poetarum in hanc syllogen irrepere potuisse atque in scholis, ea præsertim iungendi ratione respecta, quam satis novimus? Neque carmina amatoria et convivalia repugnant, quippe quae paucae sint et sero locum in hac collectione obtinuisse videantur. Præterea scimus antiquos haud ita diligenter eas res in scholis fugisse, id quod ipse Homerus docet. Toti vero collectioni ipsius Theognidis carminum librum subesse optime inde intelligemus, quod versus, quos veros esse aliis causis cognovimus, eidem quasi cardines sunt, quibus subditicii vertuntur. Quid quod spuriis exclusis versibus

---

[67]) His sex classibus omnes eos versus inseruimus, quos Welckerus inde a v. 881 posuit et Theognidi abiudicavit; omnes accurate afferre longum esse videtur.

in libro, qui exstat, iam certae quædam partes apparent, quae quin sint primariae et a poeta ipso factae, non est, quod dubitemus [1]).

Vv. 19—38, eiectis 23—26, prima est elegia, cui vix aliquid deest. 19—22 signum dant, quo Theognidis poemata cognosci possint; iam transit poeta ad poesin suam breviter adumbrandam 27—30; σοὶ δὲ — Κύρνε non sine consilio poeta dicit: «Κύρνε esto signum, tibi vero, Cyrne, suadebo», quod idem fere valet ac: «Cyrni nomine signo utar, res vero, quae in carminibus Cyrni nomine inscriptis insunt, sunt etc.»; quod Theognis modo dixit signum, eo nomine statim poetarum more hominem aliquem adolescentem se alloqui fingit, ad quem præcepta sua scribat. Sequentibus vero versibus 31—38 poeta nos docet, utram rei publicae factionem tueatur, optumates an plebem. Ita hac prima elegia omnia docemur, quae ad versus sequentes intelligendos necessaria videantur [2]).

Quae elegia cum scriberetur, etsi res iam turbidae erant, boni tamen potestatem obtinebant [3]); sed qualis rei publicae Megarensis status condicioque fuerit, describitur vv. 39—56. Ac primum quidem carmen 39—42 nos docet magnas contentiones dissidiaque esse in urbe ita, ut timendum sit, ne tyrannus existat. Harum contentionum auctores magistratus sunt, qui ad malos in-

---

[1]) Aliter Bergk in Mus. Rhen. III p. 220: eine vollständige Elegie findet sich nirgends. — 1135—50 erklärt Schneidewin wirklich für eine vollständige Elegie, aber so dürftig und unbedeutend darf man sich die elegische Poesie der Griechen nicht vorstellen. Eine viel reichere Anlage verrathen deutlich die wohl erhaltenen Ueberreste des Tyrt., Solon, Xenophanes, die doch zum Theil eben auch nichts anderes als Bruchstücke sind. — Welcker. p. XXXI sq. brevem conspectum præceptorum Cyrno a Theognide datorum præbet, sed hinc illinc sumptum, nullo ordine rationeque observata. — [2]) Bergk: hæc tria fragmenta inde a v. 19 usque ad v. 38 eiusdem elegiae fuisse videntur, quae proœmii locum obtinebat: v. 19—26 huius elegiae exordium sunt nec tamen integrum, nam poeta post v. 26 illam sententiam videtur pluribus persecutus esse, neque licet continuo v. 26 cum v. 27 sq. coniungere, quod vel nomen repetitum Πολυπαΐδη (v. 25) et Κύρνε (v. 28) arguunt. Versibus 27—30 inchoabatur media pars carminis, v. 31—38 epilogus huius elegiae est, ubi non incommode ea ipsa sententia, a qua poeta epilogum orsus erat v. 31, in novissima parte (v. 37. 38) iteratur, ut epilogum integrum servatum esse appareat. — [3]) cf. 34: ἄνδανε τοῖς. ὧν μεγάλῃ δύναμις.

clinant et, ut sequens poema 43—52 eiectis vv. 49—50 demonstrat, sui commodi causa eos in bonos incitant; bella civilia imminent[4]). Atque mali audiunt; vv. 53—56 legimus, quae rerum conversio secuta sit quantaque audacia plebs usa sit. Tamen boni nondum suo loco repressi sunt, unde apparet vv. 57—60 falso ex vv. 1109—14 huc transscriptos esse.

Quae cum ita essent, num mirum est, si poeta, qui acerrimus nobilitatis defensor est, quoquo modo a malorum societate revocavit, quam bonis periculosam fore prævideret? Nonne id eo magis hominum naturae convenire putamus, quo sæpius in vita videmus homines tum demum omnibus viribus niti ac contendi, cum in summo iam discrimine sunt? An periculum ullum bonis maius esse potuit, quam coniunctio multorum suorum cum plebe, quae in dies opulentior et superbior fiebat, præsertim cum intelligerent eos, qui ad malos transirent, plurimum conferre et ad suam perniciem et ad plebis potentiam ac dominationem? Optime igitur se habent poetae adhortationes, quae hoc loco sequuntur.

Et primum quidem Theognis monet, ne boni malis in ulla re fidem habeant vv. 69—76. Vv. 69—72 initium est novae elegiae, ad quam vv. 73—76 pertinere videntur, nulla, ut videtur, lacuna et παύροισιν (v. 75) in παύροις οὖν mutato; certe vv. 75—76 ad 69—70 referuntur, id quod in elegiis inter initium et finem fere sollemne est; præterea scimus in poesi gnomica, ut ita dicam, vincula inter singula disticha non esse firmissima. Eodem modo vv. 77—78 novum carmen inferunt, quod pergitur vv. 83—86 et absolvitur vv. 91—94. Ita hoc quoque poema mihi absolutum videtur neque intelligo, quid desideres aut vituperes; quare fugit me, quo iure Bergk. in Mus. Rhen. III p. 220 dicat carmina elegiaca Græcorum ampla ac copiosa fuisse, id quod sententiosae certe poesi prorsus refragatur.

Deinde sequuntur cohortationes, ne cum malis, qui perfidi et ingrati sint, amicitiam iungas vv. 95—132 neve, etsi sæpe divites

---

[4]) Schœmann. p. 9: non mirum autem in tali rerum statu exstitisse etiam homines factiosos, fortasse ex ipso nobilium ordine, qui popularem causam susciperent plebemque adversus nobilitatem excitarent, non tam æquae libertatis amore, quam quo ipsi plebis ope crescerent ac supra ceteros sui ordinis homines sese extollerent adeoque etiam imperio potirentur cf. 43 sq.

ac potentes sunt, ex eis ducas, cum ἀρετή eis desit vv. 133—218. Et versus 101—114 integrum exhibent poema, modo v. 105 δ᾽ εὖ, 113 τοὶ pro τόν legas. Quibus versibus poeta ab amicitia malorum, quippe quorum animi ingrati sint, iterum iterumque revocat. Iam vero vv. sequentibus 117—128, qui et ipsi vv. 117—118 post v. 120 positis integrum poema conficiunt, poeta transit ad describendum, quam sit difficile hominum amicorumque animos cognoscere. Vv. 131—2 per se esse videntur. Sed 133—142 et 145—152 et 155—158 absolutum exhibent poema, quod vel versus ultimi, qui ad primos referuntur, satis declarant; his versibus sermo est de bonis ac malis, quae dona deorum, δωτόρων ἐάων, sunt: quare ex bonis divitiisque hominum virtus non sequitur, sed ex iustitia et pietate; nam malis quoque dei divitias dederunt, non virtutem; superbiam eis adiunxerunt; itaque ne paupertas quidem aliis crimini dari potest. Eodem modo vv. 159—172 exclusis 165—168 arcte inter se cohærent, modo v. 171 legas: θεοῖς οὖν εὔχου, θεοῖσιν ἔπι κράτος etc. Nec minus integra elegia est, quae sequitur vv. 173—182, sed ita constituenda 173—4. 179—180. 175—6. 181—2. 177—8. Idem valet de vv. 183—196 exterminatis vv. 191—2. Harum elegiarum prima (159—172) nos in summa rerum humanarum inconstantia a superbia revocat et ad deos, omnium auctores bonorum, adducit, altera mala doloresque describit, quae paupertas hominibus infligit, tertia bonos pecuniae causa ex malis ducere vetat: omnes igitur bene in hanc libri partem quadrant. Neque abhorrent 209—10 neque 213—8, qui et ipsi de amicitia præcipiunt monentque, ut eam retineas.

Sed inde a v. 219 poeta ab adhortationibus ad reipublicae statum revertitur, qui etiam gravior atque impeditior factus est. Discordiae enim et inimicitiae inter bonos et malos adeo auctae sunt, ut mali, qui in dies audaciores et potentiores fiebant, iam omnem potestatem sibi vindicare studerent et vindicarent. Quibus rebus perterriti (vv. 219—20) queruntur nobiles (vv. 233—4, 235—6), sed frustra; mali iudicia habent (vv. 279—82. 289—92) et impotentes videntur minae, quas poeta vv. 293—4 adiungit: «neque vero leo semper carnem edit, sed eum quoque inopia premit», quibus in verbis leonis nomine plebs, quae tum potens erat, significatur.

At versibus sequentibus ultionis consilium clarius apparet.

Poeta ad mala patienter perferenda cohortatus (vv. 319—22) bonos amicitiam inter se coniungere iubet (vv. 323—8), quo facilius malos ulciscantur, id quod tamen non nimis accelerandum sit, ne male eveniat (vv. 329—30. 333—4. 335—6. 337—40). Eandem sententiam proferunt vv. 355—62, quos coniungendos esse puto, quippe qui unam conficiant elegiam. Modestiam ac prudentiam, qua agendum est nobilibus, prædicant etiam vv. 409—10, qui per se absoluti videntur; item 411—2 et 429—38, quibus lacuna intercedit, et 441—6, qui extremi alius elegiae sunt.

Iam vero paratum est bellum et ultio, quo bello nobiles potestatem, quam plebs eis eripuit, recuperare volunt, id quod declarant vv. 539—40. 543—6, qui de auspiciis egisse videntur, 549—52, qui bellum ipsum describunt; cuius belli eventus qualis fuerit, Theognis non disertis verbis narrat, sed nobiles devictos esse inde apparet, quod Theognis suos vv. sequentibus de malis acceptis consolatur; præterea ostendere videntur versus 583—4, quos elegiam conclusisse verisimile est. Eodem pertinent 593—4. 603—4. 631—2. 635—6. 653—4. 655—6: quibus omnibus Theognis aut querelas effundit aut se suosque consolatur.

Nobilitate igitur superata plebs iam nullo resistente summam rerum tenebat: nobiles contempti aut domi latere aut domo abire poterant; qua re quanto dolore putamus eos affectos esse, eoque magis, quo maiore in rem publicam patriamque amore ardebant? Eum amorem Theognis vv. 783—88 declarat. Vv. 805—10, quae integra elegia est, documento esse debent, nobiles omnia ad potestatem recuperandam suscepisse, imo oracula adiisse; sed frustra erat, cum ipsa factio inter se dissidere videretur, sive timore sive alia causa commota (vv. 811—4). Quare tum patienter calamitatem suam ferunt tum lamentantur (vv. 817—8. 819—20. 821—2. 833—6. 847—50. 853—4. 855—6).

Sed mox poetae iterum animus redit; novum consilium potestatis recuperandae capitur magna, ut videtur, prudentia et consideratione. Id denuntiant vv. 869—72, qui non integri sunt; 895—6. 897—900, qui integri videntur; 1027—8. 1029—36, vocabulo Κύρνε pro θυμέ restituto, qui versus consolationem continent, fortasse haud longinqua liberatione respecta. Eodem pertinent 1037—8, qui prudentiam, qua boni utuntur, prae se ferunt,

cum vv. 1109—14 turpitudine, qua Megarenses proflicti sunt, proposita ad maiorem iram excitent. Vv. denique 1133—4 consilium ipsum nos docent, quo malos repellere volunt. Simul inde videmus post nobiles devictos tyrannum exstitisse, qui plebi praerat, cf. κακοῦ ἀρχήν. Idem docent vv. 1179—82 et 1203—6. Vv. 1171—6 iterum prudentia laudatur; similiter vv. 1177—8. 1183—4. 1185—6. 1217—20. Ceteri huic illi parti adnumerandi sunt versus.

Hic libro Theognideo finis imponitur neque docemur, quomodo novum patriae liberandae consilium evenerit. Sed ex hoc totius libri conspectu luce clarius apparere nos putamus perturbationem ac confusionem non tantam esse, quanta vulgo existimatur. Nam satis distinctae singulae partes cernuntur, satis certa est totius libri secundum tempora dispositio ordoque. At ea, quae ex libro cognovimus, num historiae quoque fide confirmantur?

Atque in hac re perbene accidit, quod nobis locus Plutarchi servatus est, quem, cum maximo sit momento, integrum apponamus[5]): Μεγαρεῖς Θεαγένῃ τὸν τύραννον ἐκβαλόντες ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν κατὰ τὴν πολιτείαν· εἶτα πολλὴν καὶ ἄκρατον αὐτοῖς ἐλευθερίαν τῶν δημαγωγῶν οἰνοχοούντων διαφθαρέντες παντάπασι τά τε ἄλλα τοῖς πλουσίοις ἀσελγῶς προσεφέροντο καὶ παριόντες εἰς τὰς οἰκίας αὐτῶν οἱ πένητες ἠξίουν ἑστιᾶσθαι καὶ δειπνεῖν πολυτελῶς, εἰ δὲ μὴ τυγχάνοιεν, πρὸς βίαν καὶ μεθ' ὕβρεως ἐχρῶντο πᾶσι κ.τ.λ.

Ex hoc loco apparet tyranno eiecto aliquamdiu modeste ac tranquille Megaris rem publicam gestam esse. A quo? Nempe a nobilibus et divitibus, ut ex sequentibus elucet. Paulo vero post demagogi ex ipsis, ut videtur, nobilibus exstiterunt, qui plebem omnibus rebus permissis corrumperent et contra nobiles lacesserent, scilicet non tam plebis, quam sui ipsorum commodi causa, ut ipsi rem publicam capesserent. Ita omnes, quas Plutarchus enarrat, crudelitates in nobiles, qui oppressores putabantur, a plebe factae sunt. Hactenus Plutarchus; sed facile est coniicere nobiles restitisse ac superatos esse. Ex Aristotele[6]) constat demagogos summam rerum obtinuisse et multos nobiles expulisse, qui postea redeuntes

[5]) cf. Quæst. Gr. 18. — [6]) cf. Polit. 5. 5.

optimatium dominationem restituerunt. Videmus igitur, quanta sit consentio historiae ac versuum Theognideorum: dominatio optimatium, demagogi, crudelitates plebis in nobiles, pugnae ac clades, ultio utrimque commemoratur. Quare neque mirum neque alienum videbitur, si et historia et versibus Theognideis, quae aliud ab alio supplentur, pariter adhibitis brevem rerum Megarensium, quales tum erant, conspectum dabimus[7]).

Urbem Megaram a principio reges habuere[8]). Sed mox regibus exactis Dorenses, qui invaserunt et terram occupaverunt, rerum potiti plebem Jonicam et Achaicam ad agros colendos ex urbe repulerunt. Inde ab his temporibus Dorenses domini manserunt[9]) Megaraque civitas Dorensis fuit.

Quo nomine Megaris nobiles quove plebs appellata sit, non traditum est, sed coniectura est Welckeri minime spernenda plebi nomen δωροφόροις fuisse, quia Heraclea Pontica, quod oppidum colonia Megarensium erat, plebs idem nomen haberet[10]). Aliis enim civitatibus alia nomina plebi indita erant, veluti Spartae περίοικοι et εἵλωτες, in Creta μνῶϊται et κλαρῶται, in Thessalia πενέσται, Athenis γεώμοροι et δημιοῦργοι, Sicyone κορυνηφόροι sive κατωνακοφόροι. De nobilibus vero Aristoteles utitur nomine γνώριμοι, alii πλούσιοι. At non sine causa supra coniecisse nobis videmur eos Megaris Κύρνους appellatos esse, uti Athenis Εὐπατρίδας etc.

Ac nobiles diu in imperio, quod sibi assumserant, fuerunt, cum plebs pauper ac timida ruri ageret ac vix in urbem venire auderet[11]). Postea vero ratio mutata est. Nam ut in aliis civitatibus, ita Megaris agricultura et mercatura, ut videtur, plebs opulenta facta non iam omnia, quae nobiles ei iniungerent, patienter tulit, sed etiam iura quædam et libertatem sibi parare studuit. Quare discordiae et contentiones ortae sunt, maxime de pascuo quodam ad rivum Megarensium sito, quod et nobiles et

---

[7]) cf. Welckerum p. X, 2 sq. — Heckerum in Philol. V p. 467 sq., qui omnia confudit, Theognidem vitam per bella Persica et diutius egisse putans omniaque eo referens. — Melius Schœmann, schediasma et Hertzberg in Prutz litter.-hist. Taschenbuch 1845 p. 322 sq. Cf. etiam studia Theognidea, scripsit van der Mey p. 4 sq. — [8]) cf. Paus. I, 39 sq. — [9]) cf. Herod. V, 76. — [10]) cf. proleg. p. 20. — [11]) cf. Theog. vers. 55 sq.

plebs sibi vindicabant. Id nobiles, qui omnia sibi permissa esse putarent, per vim occupavisse videntur, sed subito Theagenes, nullo dubio unus ex nobilibus, cum Cylon Atheniensis eius filiam duceret, acervo rusticanorum coacto, cum boves nobilium aggressus trucidavisset, plebem liberavit et se ipsum tyrannum fecit[12]).

Quod quo tempore factum sit, etsi pro certo dici nequit, tamen non ante ol. 41 factum esse coniicere possumus. Nam ol. 42 Cylon Atheniensis, gener Theagenis, ab hoc in dominatione Atheniensium arripienda adiutus est[13]); quod priusquam Theagenes facere posset, ipsum tyrannidem suam stabilivisse oportet.

Theagenes perbene rem publicam gessisse videtur; constat enim aquas eum in urbem duxisse ac fontem egregium media in urbe exstruxisse[14]); idemque mercaturam adiuvit ac fines Megarensium protulit. Sed nescio an hoc ei interitum paraverit. Cylonis enim temporibus Theagenes Salaminem insulam portumque Atheniensium occupavisse videtur[15]). Quam insulam cum Cylone expulso Megarenses non redderent, acre bellum commissum est, quo Athenienses iterum iterumque victi legem sanxerunt, ut, si quis bellum renovandum iuberet, is supplicio afficeretur. Itaque diu bellum intermissum est, cum sibi quisque timeret, dum Solon exstitit, qui insania simulata — notas res refero — suis civibus persuasit, ut bellum redintegrarent. Ita Salamis Megarensibus erepta est[16]), id quod factum est fere ol. 46, 1—2. Athenienses vero Solonem supremum archontem creaverunt ol. 46, 3, qua dignitate, ut videtur, ei virtutis præmium darent. Tamen bellum per aliquot annos ductum esse et per se verisimile est et ex Herodoto sequitur, qui Pisistratum illo bello excelluisse magnamque gloriam sibi paravisse tradit[17]).

Salamine vero amissa belloque in Athenienses male gesto Theagenis auctoritas labefacta esse videtur. Neque nos erraturos esse puto, si existimabimus eum ipsa hac causa prima vel secunda olympiade post deiectum esse, nam eum deiectum esse ex Plutarcho[18]) constat. At a quo deiectus est? Nempe a nobilibus,

[12]) cf. Aristot. Pol. V, 5. — [13]) cf. Thuc. 1, 126. — [14]) cf. Paus. 1, 40 et 41, 2. — [15]) cf. Curt. griech. Geschichte I p. 262 et Welcker p. X. — [16]) cf. Diog. Laert. I, 2, 46, ubi διὰ κηρυκείας legendum videtur. — [17]) cf. Herod. I, 59. — [18]) cf. Quæst. Græc. 18.

qui propter dominationem ereptam acerrimi eius adversarii Salaminem amissam ita in suum usum convertisse videntur, ut Theagenem in suspicionem plebis adducerent sibique dominationem recuperarent[19]).

Et successisse nobiles in imperio Theageni pro certo affirmare ausim. Non enim verisimile est Theagene expulso plebem rerum potitam esse nobilibus, qui tyranni eiiciendi auctores fuerant, non resistentibus. Non verisimile plebem rerum potitam primo cum modestia lenitateque rem publicam gessisse, postea summa crudelitate atque iniuria in nobiles, qui securi innocentesque sibi quisque viverent, usam esse. Certe multo probabilius est tyranno exacto nobiles rem publicam omnemque potestatem recuperavisse.

Ac primo quidem cum timerent, ne plebs denuo rebellaret seque eiiceret, tam modestam ac lenem dominationem exercuerunt, ut pax ac concordia inter nobiles et plebem esset[20]). Sed postea cum nova dominationis possessione stabiliti pristinam crudelitatem et duritiem renovarent, animis plebis ab eis abalienatis, demagogi exstiterunt, qui quin ex numero nobilium fuerint, non dubium est[21]).

Ab his temporibus Theognidis liber exorditur. Demagogi enim multa concedendo et permittendo gratiam plebis sibi conciliare studebant et summa vi nitebantur, ut eam in nobiles excitarent, ut his deiectis ipsi potestatem sibi vindicarent. Atque plebs dicto audiens fuit; venerunt enim multi ex agris in urbem, qui nobiles diriperent et re publica depellerent; quibus rebus demagogi in dies potentia crescebant[22]). His temporibus quod multi nobilium ad plebem transierunt, cum hac una re spem ac præsidium sibi viderent, non mirum est.

Sed quae fuit causa harum contentionum? Sine dubio iniuriae et crudelitas nobilium, ut supra iam diximus. Sed hae non solae fuisse videntur; accedebat, ut ex Plutarcho satis elucet[23]), paupertas et aes alienum, quae res, ut in aliis civitatibus, ita hic et duritiem nobilium auxit et indignationem plebis excitavit, ut li-

---

[19]) cf. Schneidew. præf. 53 et Welcker p. XI. — [20]) cf. Plut. l. l. ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν κατὰ τὴν πολιτείαν. — [21]) cf. Schœm. schediasm. p. 9. — [22]) cf. Plut. l. l. et Theogn. 39 sq. — [23]) cf. l. l.

benter demagogos audiret invitantes, ut in urbem venirent ac nobilibus despoliatis suae inopiae mederentur. Itaque omnis vis omnesque iniuriae factae sunt. Sed cum plebis animi rapinis incitarentur, non satiarentur, etiam decretum est, ut usurae, quas plebs solvisset, a nobilibus redderentur[24]). Similia apud Theognidem quoque legimus.

At nonne cum his adversa fronte pugnant, quae supra de plebis opulentia ac divitiis diximus? Non quae apud Theognidem scripta invenimus? Non puto, si bene distingues. Nam quae supra diximus, ad tempora referuntur, quae ante Theagenis tyrannidem erant, ex quibus ratio mutata esse poterat aut bellis aut ignavia. Sed etiamsi temporibus, de quibus nunc sermo est, res eaedem atque tum essent, tamen illo loco non diximus plebem opulentam factam esse per se ac simpliciter, sed pristinae condicionis ratione habita opulentiorem quam antea, id quod non impedit, quominus multos multa concupivisse existimemus, quae occasione data sibi caperent. Præterea constat omnibus temporibus in omnibus civitatibus haud ita paucos fuisse, qui egestate atque ære alieno oppressi sua culpa novis rebus studerent et omnem rationis mutandae occasionem avide arriperent. Quae vero Theognis de divitiis plebis narrat, ea non ad universam plebem, sed ad singulos quosdam homines de plebe pertinent. Idem in re publica Romana videmus, ubi magna plebis parte ære alieno obruta singuli quidam homines tantis opibus affluerent, ut patribus ipsis odio essent ac necarentur[24a]).

Cum his plebeiis multi nobiles propter divitias societates, amicitias, connubia conciliasse videntur maximeque tempestatibus in re publica sævientibus, quod eis affinitatibus se tutos esse futuros putabant. Qua re cum nobilium causa valde debilitaretur, Theognidem iterum iterumque id dissuadere videmus, quamquam sero ac frustra. Nam iura alterum post alterum a plebe acerbata arripiebantur multæque crudelitates in nobiles exercebantur. Quae cum nobiles non patienter ferrent, res ad manus ac ferrum venit, sed pugna nobiles victi atque omni potestate privati sunt[25]). Quo

[24]) cf. Plut. l. l. τέλος δὲ δόγμα θέμενοι τοὺς τόκους ἀνεπράττοντο παρὰ τῶν δανειστῶν, οὓς δεδωκότες ἐτύγχανον, παλινοικίαν τὸ γιγνόμενον προσαγορεύσαντες. — [24a]) cf. v. c. Sp. Mælium, alios. — [25]) cf. Arist. Pol. V. 5.

facto populare imperium institutum est, in quo demagogi principem locum obtinebant. Nobilibus nihil iam auctoritatis relictum erat.

Sed demagogi nimis violenter potentia sua usi crudelissime, qua erant imprudentia, in nobiles suae utilitatis causa consuluerunt. Hi cum iam per se ad potestatem recuperandam proni essent, his crudelitatibus etiam magis incitati sunt. Auctore Theognide, ut videtur, consilium ultionis sumendae ceperunt neque persecuti sunt, cum discordiae inter eos orerentur. Sed mox secuta est altera coniuratio. Cum enim demagogi permultos nobiles eiecissent, exules et inter se et cum eis, qui domi erant, societate inita subito reverterunt, plebem, quae tyrannum fecerat, vicerunt, optumatium dominationem restituerunt[26]). Eversi igitur imperii popularis causa libido fuit ac cupiditas demagogorum[27]). Neque vero Theognis nobilium in patriam reditum vidit, quod satis certo inde sequitur, quod eius rei in carminibus non iam mentionem fecit.

Quae res quibus temporibus factae sint, etsi pro certo dici non potest, tamen in universum definire non ita difficile videtur. Theagenes enim, ut supra demonstravimus, expulsus est circiter ol. 47/8. Atqui ineuntibus bellis Persarum omnia Megaris quieta videntur; certe nullae seditiones domesticae memorantur; urbs Megarensium cum Atheniensibus bellum Persarum suscipit[28]). Omnes igitur res, quas memoravimus, inde ab ol. 47/8 usque ad ol. 70 factae sunt, id quod ea re confirmatur, quod in aliis quoque civitatibus eisdem fere temporibus inter plebem ac nobiles bella gesta sunt, maximeque quod, cum Cleomenes expeditiones in Atticam faceret, nullae Megarensium rixae a veteribus traditae sunt[28a]); potius Megarenses cum eo res communicavisse videntur. Quamquam, si optumates tum cum plebe bellum gessissent, non dubium est, quin rex Lacedæmoniorum eos adiuturus et domum reducturus fuerit.

Atque res ita se habere alio quoque argumento probatur. Traditum est enim a Thucydide[29]) ol. 89 nobiles, quos non ita multo ante eiectos esse ex ipso Thucydide apparet, cum Athenien-

---

[26]) cf. Aristot. Pol. 5, 5. 4, 15. — [27]) cf. Arist. Pol. 5, 3. — [28]) cf. Simonid. epigr. 107. Herod. VIII, 1. 45. IX, 21. — [28a]) cf. Herod. V, 77. — [29]) cf. 4, 66—74.

sibus contra urbem profectos fœdereque icto in patriam receptos optimatium imperium restituisse. Cum vero inde a bellis Persarum usque ad hoc tempus nihil omnino de rebellione et seditione audiamus, optimo iure concludi posse videtur oligarchiam ante bella Persarum restitutam tuto ac firmiter usque ad bellum Peloponnesiacum permansisse.

Quid denique quod Theognidis ætas optime ad hæc tempora quadrat? Omnes enim scriptores ol. 57—59 memorant, quibus Theognidis vitam definiant[30]). Quodsi eum putamus 30—40 annos natum fuisse, cum clarus haberetur — nam eum non prima iuventute carmina facere cœpisse ex ipsius verbis sequi videtur[31]) — coniici licet eum natum esse inter ol. 47—50 sive inter annos 592—580 a. Chr. n. Neque vero eum vita decessisse post ol. 70 sive 500 a. Chr. n. inde pro certo sequitur, quod ultionem, quam ante ol. 70 sumptam esse demonstravimus, non vidit. Ex quo cernitur vitam Theognidis, quae sextum fere a. Chr. n. sæculum explevit, in eadem tempora cadere, quibus Megaris turbae civiles erant[32]).

IV.

Restat, ut pauca, quae de vita scriptisque Theognidis memoriae prodita sunt, colligamus et in brevi conspectu ponamus. Et de ætate quidem quid nobis videatur, supra exposuimus dicentes eum inter ol. 47—70 vixisse. Quare iam ad patriam eius definiendam aggrediamur, de qua inter veteres auctores dissensio est.

Nam etsi omnes Theognidem Megaris natum esse uno ore tradunt, tamen alii Megara in Sicilia, in Attica sita alii existimant.

[30]) cf. Hieronym. ad Olymp. 59, 1 et 58, 1: Theognis poeta clarus habetur. Chronik. Pasch. Ol. 57: Θέογνις ποιητὴς ἐγνωρίζετο. Cyrill. c. Julian. I p. 13 Ol. 58: Θέογνις ὠνομάζετο. et VIII p. 225: Φωκυλίδης καὶ Θέογνις ἐγενέσθην. Suidas: Φωκυλίδης, Μιλήσιος φιλόσοφος, σύγγονος Θεόγνιδος· ἦν δὲ ἑκάτερος μετὰ χμζ' ἔτη τῶν Τρωικῶν, Ὀλυμπιάδι γεγονότες νδ'. — [31]) cf. v. 27 et Xenophan. fr. 7. — [32]) cf. Welcker. p. XVI eum non diu ante Ol. 55 natum esse putat. — Schœm. sched. p. 15: cum floruisse dicatur 544—1. circiter 572—69 natus esse videbitur: idem Theognidis vitam ad 491 producit. — Rintelen l. l. eum circa annum 540 natum putat. Similiter Hecker. Philol. V p. 467 sq.

Horum in numero est Didymus[1]), Harpocration[2]), Athenæus[3]), Stephanus[4]), qui duo scriptores cum Megara non accuratius definiant, certum est eos Attica intelligere; illorum in numero est Plato[5]) et Suidas[6]). At verba philosophi accuratius legentes intelligent eum non dicere Megara Sicula urbem esse, in qua Theognis natus, sed cuius a civibus civitate donatus sit[7]); non igitur γένει poeta eorum civis fuit, sed θέσει. Contra haec Suidae, qui locum Platonis exscripsit neque intellexit, verba parvi momenti sunt, eoque minoris, quo maiore voce versus ipsi poetam Megaris Atticis natum esse clamant.

De vita ipsa Theognidis non multa tradita sunt. Id constat eum antiqua Dorensium domo oriundum fuisse opulenta atque honesta, id quod eius auctoritate satis declaratur. Puer atque adolescens eadem, qua omnes Dorenses, usus est educatione, ut a maioribus natu, quae scitu digna essent, disceret[8]). Is enim mos Dorensium fuit, ut pueri et adolescentes maiorem quendam hominem sequerentur, a quo omnibus rebus, quas scire civem bonum deceret, erudirentur cf. vocabula εἰσπνήλας et αἴτης. Itaque cum poetae omnia nobilitatis iura ac privilegia in animum descendissent, turbis civilibus, quae sequebantur, acerrimus nobilitatis propugnator factus est, qui voce versibusque ceteros admoneret et incitaret. Postremo bella domestica inter nobiles et plebem, quae iam diu imminebant, orta sunt; in quibus quin Theognis primas partes egerit, dubium non est. Victis vero nobilibus quae eius sors fuerit, non constat[10]); fortasse Theognis quoque aliquamdiu in exilium

---

[1]) cf. Schol. ad Plat. leg. I p. 630: περὶ Θεόγνιδος καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ἱστορίας ἀμφιβολία πολλὴ ἐγίγνετο τοῖς παλαιοῖς· καὶ οἱ μέν φασιν αὐτὸν ἐκ Μεγαρέων γεγενῆσθαι τῆς Ἀττικῆς· οὕτως ὁ Δίδυμος, ἐπιφυόμενος τῷ Πλάτωνι ὡς παριστοροῦντι· οἱ δὲ ὅτι ἐκ Σικελίας. — [2]) cf.: τοῦ δὲ ποιητοῦ Θεόγνιδος μνημονεύει Ἰσοκράτης ἐν ταῖς πρὸς Νικοκλέα ὑποθήκαις· οὗτος δ᾽ἦν Μεγαρεὺς ἀπὸ τῶν πρὸς τῇ Ἀττικῇ Μεγάρων· αὐτὸς γάρ φησιν ὁ ποιητής· „ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν“ cf. 783. ᾧ μὴ ἐπιστήσας Πλάτων ἐν α᾽ Νόμων τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων πολίτην ἔφασκεν [εἰς Σικελίαν], κατηκολούθησαν δὲ τῷ Πλάτωνι οὐκ ὀλίγοι. — [3]) cf. 7, 317 a. 13, 559 f. — [4]) cf. s. v. Μέγαρα. — [5]) cf. leg. I, 630. — [6]) cf. s. v. Θέογνις. — [7]) cf. verba: ποιητὴν δὲ καὶ ἡμεῖς μάρτυρα ἔχομεν Θέογνιν et p. 629. — [8]) cf. v. 27. — [9]) cf. v. 783 sq. — [10]) cf. Schœm. l. l. p. 14. — Welcker p. XIII, 4.

ivit, dum summum periculum præteriisset ac tuto reverti posset. In id tempus magna itinera videntur cadere, in quibus quanto hospitio ab omnibus exceptus sit, ipse prædicat[9]). In his itineribus etiam aliquamdiu Megaris in Sicilia commoratus et civitate donatus esse videtur. Sed mox patriae amore commotus domum rediit ac paulo post eum Megaris id agentem videmus, ut plebe deiecta nobiles in pristinum imperium restitueret; id quod multis rebus frustra temptatis tandem perfecit. Nobiles enim societate facta ac coniuratione redierunt ac plebem superaverunt; quo facto oligarchia restituta est. Neque vero Theognis eam rerum conversionem vidit, cum iam antea diem supremum obiisset.

Iam vero de scriptis Theognidis disputaturi optime initium faciamus ab ipsius poetae verbis, quem vidimus inde a v. 27 sq. de carminibus suis dicere. Præcepta enim se ea daturum esse profitetur, quae ipse a maioribus acceperit, ut virtutem ac iustitiam colas et societatem bonorum retineas. Videmus igitur eum præcepta de iustitia et virtute dare, neque vero simplicia et per se, sed relata ad nobilium mores vitamque. Simulque contentiones significat inter nobiles et plebem exortas, cum a malis acerrimis verbis revocet. Quae cum ita sint, non putari licet Theognidem ab initio carmen didacticum condidisse, sed præcepta rebus civilibus intertexuisse, prout occasio et facultas offerebatur; id quod ex libro ipso etiam luculenter apparet[11]). Atque hæc carmina poeta Cyrni nomine obsignavit, ne quis ea auferret suaque diceret; horum reliquiae in nostra collectione exstant.

Hunc Theognidis librum multi scriptores veteres memorant, quamquam, qualis eius dispositio fuerit qualeque argumentum, non æque bene ac ex Theognide cognoscimus. Quid mirum? Quo longius alicuius scriptoris ætas a Theognide recedit, eo corruptiora

[11]) cf. Schneidew. præf. p. 48. — Schœm. l. l. p. 6, qui sententias virorum doctorum de poematis Theognidis in brevi conspectu ponit. — Bernhardy hist. litt. Græc. I p. 144. — Contra Welckerus p. 71 sq., qui carmen didacticum fuisse demonstratum it. — Alios, qui aut idem aut similia senserunt, prætermittamus. — Præterea cf. Xenophontem (?) ap. Stobæum, quem locum supra exscripsimus: is et ipse Theognidis versus carmen didacticum fuisse existimat. — Conf. præterea III, ubi demonstravimus, quo modo præcepta rebus civilibus immixta fuerint.

et immutatiora poetae Megarensis carmina videt eoque magis aliena a vera libri forma eoque accommodatiora ad nostrae collectionis speciem sunt nomina, quibus de eis utitur. Et Plato quidem satis accurate Theognidis librum descripsit, qui moralia, ut ita dicam, præcepta virtutibus bellicis intermixta exhibuit. Theognidem enim cum Tyrtæo comparans, τοῦτον (i. e. Theognidem), dicit, ἐν πολέμῳ χαλεπωτέρῳ ἀμείνονα ἐκείνου πάμπολυ γίγνεσθαι. σχεδὸν ὅσον ἀμείνων δικαιοσύνῃ καὶ σωφροσύνῃ καὶ φρόνησις εἰς ταὐτὸν ἐλθοῦσα μετ' ἀνδρείας αὐτῆς μόνης ἀνδρείας κ. τ. λ.[12]) Similiter, etsi minus accurate, Isocrates Theognidis versus descripsit[13]). Ad nostram collectionem accommodatiora sunt verba Xenophontis qui fertur apud Stobæum[14]), Dionis[15]), Cyrilli[16]). Alii scriptores utuntur vocabulis γνῶμαι, γνωμολογία, παραινέσεις, ὑποθῆκαι[17]). Prorsus denique in nostram syllogen quadrant, quae Suidas[18]) scribit: ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακοσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ, γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη ,βω', καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων. καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς. — ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος. De hoc loco Welckerus[19]) sine dubio recte disputavit eum in tres similes partes dirimens, quarum prima finitur verbis εἰς ἔπη ,β ω', altera verbo ἐπικῶς, tertia reliqua amplectitur. Et ut elegiam in Syracusanos, de qua mox dicendum erit, omittamus, altera pars eadem ac prima auctiora continet; quare etiam illud ἐπικῶς cum Schœmanno[20]) in ἔπη ,βως' sive ,βω' mutaverim. De tertia vero parte, quae prorsus nostram collectionem spectat, non est, quod verba faciamus.

Præter hunc carminum librum num Theognis aliud quid scripserit, incertum est. Ex ipso quidem Theognide nihil cognoscimus; neque vero ex Platone[21]), id quod alii volunt, concludi

---

[12]) cf. leg. I p. 630. — [13]) cf. ad Nicocl. c. 12. — [14]) cf. Stob. 88 p. 499 (s. 14). — [15]) cf. oratio II. — [16]) cf. c. Julian. l. VII. p. 224 Spanh. — [17]) cf. Welcker p. 71 sq. Leutschius Philol. XXIX p. 521 sq. ὑποθήκας nomen fuisse putat versuum ad Cyrnum missorum, coll. ὑποθήσομαι, v. 27. — [18]) cf. lexic. s. v. Θέογνις. — [19]) cf. prol. p. 73, 2. — [20]) cf. p. 4. NB. — [21]) cf. Menon. 95 D.

licet poetam nostrum alias elegias sive carmina epica conscripsisse[22]), cum non videam, quid obstet, quominus putemus illud ἐν ποίοις ἔπεσιν non nisi «ubi» valere, ad quod recte ac sine offensione a Socrate ἐν τοῖς ἐλεγείοις respondetur[23]); oppositio inter τὰ ἔπη et τὰ ἐλεγεῖα ab hoc loco prorsus aliena videtur[23a]). Carmina deinde convivalia, amatoria aliaque id genus qui ab eo facta esse putent, ei videant, quo id iure faciant quoque modo totius antiquitatis de hac re silentium explicent[24]). Restat igitur unus Suidas[25]), qui Theognidis elegiam εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακουσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ memorat. Hæc verba quin corrupta sint, nemo dubitare potest. Sed etiamsi cum viris doctis ἀναλωθέντας[26]) sive ἡσσηθέντας[27]) legas, tamen aliquis error latere videtur. Fac enim Suidae auctoritatem etiam maiorem esse quam est, tamen id eius adnotationem valde incredibilem faceret, quod omnino nemo alius illius elegiae mentionem facit neque nos cogitatione assequi possumus, quid Theognidi Megarensi cum Syracusanis sit. Nunc vero

---

[22]) cf. Schneidew. præf. p. 1. adn. — [23]) cf. Jul. Cæsar de carm. Græc. eleg. p. 43. — [23a]) Leutschius l. l. putat verbo ἔπεσιν in universum libros sive versus Theognidis significari, ἐλεγεῖα vero inscriptionem unius cuiusdam libri fuisse. Atqui cum versus a Platone allati non ad Cyrnum missi sint, ἐλεγεῖα inscriptionem esse eorum carminum, quae non ad γνωμολογίαν Κύρνου pertineant. — [24]) cf. Schneidew. præf. p. 49 sq. — [25]) cf. l. l. — [26]) cf. Schneidew. præf. p. 1. — [27]) cf. Hecker. Philol. V p. 473 sq.; ceterum Welcker p. XV, 5. — Hecker. res, quas elegia narrat, tyranno Gelone factas putat, qui *inde ab anno 484* regnavit. Sed quid hoc ad Theognidem, qui anno 500 iam mortuus erat? Aliter puto has difficultates expediendas esse. Nam in inscriptione, quam Suidas tradit, εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακοσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ, vitium latere omnes viri docti viderunt. Equidem coniicio scribendum esse: εἰς τοὺς σωθέντας ἐν τῇ πολιορκίᾳ τῶν Συρακουσῶν, et rem referendam ad famosam illam Syracusarum oppugnationem ab Atheniensibus, cuius miserabilis exitus a Thucydide VII, 84 sq. narratur: ὀλίγοι ἀπὸ πολλῶν ἐπ' οἶκον ἀπενόστησαν. Quam ingentem Atheniensium cladem, quid mirum, si quis poeta elegia descripserit ac deploraverit? Sed quis hic poeta fuit? Non me erraturum esse puto, si existimo Theognidem Atheniensem esse, quem Suidas poetam tragicum nominat; Atheniensem enim optimo iure Athenienses deflevisse inter omnes constat. Neque illud obstat, quod Suidas eum poetam tragicum dicit, cum ex eodem Suida sciamus Aeschylum, Sophoclem, alios poetas tragicos elegias scripsisse. Quam vero facilis ac verisimilis sit confusio inter Theognidem Megarensem et Atheniensem quamque apta Suidae ingenio, non est, quod moneam.

cum satis perspectum sit, quam incertus auctor sit Suidas, ei omnem fidem in hac re quin detrahamus, fieri non potest. Vides igitur præter carmina, quorum reliquiae etiamnunc exstant, nullum poema probabiliter aut certo Theognidi attribui posse.

Ad extremum pauca de Theognidis arte versuum componendorum addamus, qua in re eum satis diligentem videmus, ut Græcum poetam scilicet; namque hi omnes a poetis Latinis in distichis faciendis superantur. Theognis vero ea quidem re poetis Romanorum comparandus est, quod per totum librum singulis distichis sententias singulas absolvit aut, si tota sententia longior erat, at certas quasdam eius particulas distichis circumcidit. Sane hanc legem non sine exceptione esse confitendum est; nam ubi sententia copiosior aut difficilior est, quam quae integris distichis comprehendatur, sententiam inchoatam sequenti versu conficere non veretur, veluti vv. 184/5, 326/7, 898/9 videri licet.

Neque minore arte quam disticha versus distichorum pepigit. Et in hexametro quidem sæpissime cæsuras admittit, quae nominibus πενθημιμερής et κατὰ τρίτον τροχαῖον dicuntur; quibuscum comparatae ceterae raro occurrunt. In singulis pedibus et dactylo et spondeo locus est, sed certis quibusdam legibus; nam spondeus omnino non legitur pede quinto neque simul in primo et tertio et quarto neque simul altero, tertio quartoque neque simul in quattuor primis pedibus. Versus, quorum pedes omnes dactyli sunt, satis frequentes reperiuntur; sed etiam frequentior est spondeus in altero pede; item spondeis haud raro locus est in altero tertioque aut in altero quartoque pede; ceterae compositiones hexametri rariores sunt.

Hexametrum excipit pentameter, cuius cæsura in medio versu sollennis est et a Theognide plerumque sine synicesi efficitur. Ita omnis versus in duas dividitur partes, quarum posterior dactylis unis constat, prior etiam spondeos admittit. Hanc regulam Theognis quoque sequitur. Apud eum in priore pentametri parte uni dactyli spondeis exclusis et spondeus in altero pede æque sæpe occurrunt, cum spondeus in primo vel in primo et secundo pede rarior sit. Ultima denique pentametri syllaba persæpe corripitur i. e. anceps est.

Duae pentametri partes a Theognide triplici modo in unum

coagmentantur, ut Bergkius demonstravit[28]). Nam aut adiectivo prior et substantivo posterior pars finitur et vice versa, aut adiectivo prior pars finitur et inchoatur posterior substantivo et vice versa, aut similes vel contrariae voces duas partes claudunt. Præterea videmus Theognidem id potissimum agere, ut verbum in fine versuum pentametrorum ponatur, cum verbo demum sententia absolvatur.

Oratio denique, qua Theognis utitur, Homerica est, qua ceteri quoque poetae elegiaci usi sunt, sed magis pedestri orationi accommodata[29]). Sane Theognis quædam peculiaria habet, quae initio indice comprehendere volebam, sed cum indicem omnium poetarum lyricorum scripturus sim, id me omittere posse existimavi. — Id scripsi, antequam cum librario hac de re egissem; qui cum iniquitate temporum respecta mihi dissuasisset, ne nunc quidem ederem, huic editioni brevem, sed plenam et utilem, ut spero, indicem addidi. —

[28]) cf. Mus. Rhen. III p. 413 sq. — [29]) cf. Plut. de aud. poet. 2, p 16: γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικὴς, ὥσπερ ὄγκμα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν. — Præterea de dialecto poetae cf. Renner, quæstiones de dialecto antiquioris Græcorum poesis elegiacae et iambicae in Studiis ed. G. Curtius, 1868.

THEOGNIDIS ELEGIARUM RELIQUIAE.

De codicibus.

Princeps est *(A)*, quem olim Mutinensem vocavit Bekkerus, non quod Mutina Parisios venisset, sed communi tum omnium, qui ex Italiae superioris bibliothecis minoribus Parisinae illati essent, nomine. Is a Bekkero bis excussus quo post annum 1815 devenisset, nesciebat Bekkerus, sed eum remansisse Parisiis ibique servari in Supplementis signatum nr. 388 cognitum est ex E. Mülleri libello, qui inscribitur: Éloge de la Chevelure, discours inédit d'un auteur grec anonyme, publié d'après un manuscrit grec de la bibliothèque royale, Paris, 1820. Huius duae post Bekkerum exstant collationes, altera Presselii in Schneidewini gratiam, quam E. v. Leutsch in Philol. XXIX, 1870, publici iuris fecit, altera, quam H. W. van der Mey edidit in libello, qui inscribitur: Studia Theognidea, Leidae, 1869, complexam vv. 1—528. 1032—8. 1054—fin. Est autem membranaceus, sæculi X, forma quadrata minima, foliis 112, insigni scripturae et elegantia et antiquitate; continetque cum Theognide Homerocentonem, Phocylidem, Coluthum, Dionysium Periegetam. Theognis incipit fol. 45 et instructus est super vv. 1—256. 269—274. 1231—6 interpretatione latina e sæculo XIV.

(B) Paris. Reg. 2008, olim 3340, chartaceus est, f. quadr., fol. 158, quorum 15—40 Theognidi data.

(C) Paris. Reg. 2551 (3233), chart., quadr., foliorum 203 Theognidi dat 157—167. Paginas habet bipartitas, scripturam tam minutam, ut nullum versum frangat.

(D) Par. Reg. 2739 (2803), chart., f. maiore, fol. 209, quorum 178—197 Theognis habet.

(E) Par. Reg. 2833 (3341), membranaceus, quadr., fol. 214. hic et Theognidis (f. 182—208) et ceterorum, quos complectitur, poetarum principia auro et coloribus nitide distinguit.

(F) Par. Reg. 2866 $\binom{3336}{3}$, chart., quadr., altera a versu 577 manu. Hic Tusani fuit, et additam habet Batrachomyomachiam editam Venetiis a. 1486.

(G) Par. Reg. 2883 (3537) chart., recentissimus, moduli tam minuti, ut unumquemque versum frangat.

(H) Par. Reg. 2891 (3525) chart., quadr., Theognidem habet f. 206—224.

(I) Venetus Marcianus 520, chart., quadr., fol. 234, valde recens, præter Theognidem complexus Platonis apologiam, Cleomedis κυκλικὴν θεωρίαν et μετέωρα. Iulium Pollucem, Phocylidem, carmen aureum.

(K) Ven. Marc. 522 membr. sæculi XV. Continentur eo Dionys. Hal. Περὶ τοῦ χαρακτῆρος Λυσίου τοῦ ῥήτορος. Λυσίου τοῦ ῥήτορος λόγοι. Γοργίου τοῦ ῥήτορος ἐλένης ἐγκώμιον. Ἀλκιδάμας περὶ σοφιστῶν. Ἀντισθένους λόγοι. Δημάδου ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας. Λυσίου ἐπιτάφιος. Ἱστορία ἀγαθίου. Ἀποφθέγματα φιλοσόφων. Plura vacua folia. Περὶ στρατηγικῶν ὀνομάτων τε καὶ τάξεων. ἀδέσποτον. cum picturis. Complura vacua folia. Theognis, fol. 181. Φωκυλλίδου γνωμικὰ ὡραῖα. Πυθαγορικὰ ἔπη τὰ καλούμενα χρυσᾶ. Moschi Europa. Musæi Hero et Leander. Syrinx. Longinus περὶ ὕψους. Theognis est lacunosus a v. 34 ad 832. Inde ab hoc versu singula modo vocabula desunt, quae in apparatu critico indicavi. Post Bekkerum eum contulerunt Ziegler in edit. Theognidis, Tubing., 1868, Hart et Hinck in Iahnii annal. 1868.

(L) Laurentianus plut. 31 cod. 20, chart., recens, nec tamen recentior altero, plut. 32 cod. 48.

(M) Barberinus 206.

(N) Vaticanus 63, chart., quadr., fol. 121 bipartitis, scriptura minuta et eleganti. Inest anthologia Planudea, Christodori ἔκφρασις, Theognis (f. 107—116), γνῶμαι μονόστιχοι. Pauli Silentiarii εἰς τὰ ἐν Πυθίοις θερμὰ ὑμιαμβεῖα. Euclidis epigramma, Hermes Trismegistus περὶ σεισμῶν.

(O) Vatic. 915, bombyc., f. max., sæculi XIII. Insunt in eo Musæi Hero et Leander. Syrinx. ὡραῖα γνωμικὰ τῆς ὀρφ . . . (quædam ex Orphei Lithicis). Theognis fol. 25. Φωκυλλίδου γνωμικὰ ὡραῖα. Πυθαγορικὰ ἔπη τὰ καλούμενα χρυσᾶ. Moschi Europa. Mu-

sæus. Scholia in Syringa. Gnomae Menandri. Pindari sententiae. Ilias. Lycophron. Ilias. Odyssea. Hesiodi Op. et Dies. Theogonia. Lycophron. Theocritus. Batrachomyomachia. Lycophron. μῦθοι αἰσώπειοι ἰαμβικοὶ τετράστιχοι βραβίου τοῦ σοφιστοῦ (sunt fabulae 66). Dionysii Periegesis. Theocritus. Pindari Ol. II, 43—VII, 30. Lycophron. Theocritus. Batrachomyomachia. Tzetzes Antehomerica. Homerica. Posthomerica. Ceterum cf. Hinckii descriptionem huius codicis in Iahnii annal. 1868. p. 336, qui etiam disturbatum foliorum ordinem in integrum restituit. Præterea eum contulit Ziegler in edit. Theognidis, quam supra memoravi. —

(P) Vatic. 1388, chart., quadr., fol. 93. post Theognidem (f. 1—45) Aristotelis habet poeticen et Donatum Græce versum. Est ex libris Fulvii Ursini.

(Q) Vatic. Palatinus 102, chart., f. minore, fol. 130, quorum 1—2 Ἑρμοῦ τρισμεγίστου περὶ σεισμῶν, 3—54 Theognis, 55—102 Dionysius Periegeta, 103 sqq. Damascenus περὶ τῶν κενούντων φαρμάκων.

(R) Vatic. Palat. 139, chart., quadr., fol. 339. Insunt Orphei hymni et Argonautica, Procli hymni, carmen aureum, Nicandri Theriaca et Alexipharmaca, Sophoclis Aiax Electra Oedipus rex, Theognis (f. 189—217, ubi χειρ' ἔσχον ἐμμανοῦήλῳ λῆξιν γνῶμαι χρῶ τῶν θεόγνιδος ἐς παιδείαν σοφοῦ), Dionysius Periegeta, Aeschyli Prometheus Septem Persae, Lycophron.

Similis huic Urbinas 160, chart., f. max., qui Theognidem habet post Suidae etymologicum Michaelis Apostolii manu scriptum.

Distinguunt sententias *BDHIMNQR* et in primo folio *E*. *L* autem unicuique pæne disticho litteram dat initialem.

Præterea ex Vindobonensi 331 *(s)* lectiones aliquot enotatas habuit Bergk. Laurentiani plut. XXXII cod. 48 chart. *(t)* primorem partem contulit Studemund. —

De auctoritate horum librorum disputaverunt Bergk. in Museo Rhen. Novo III p. 206 sq. et 396 sq., Nietzsche in Mus. Rhen. XXII p. 161 sq., Hart. et Hinck in Iahnii ann. 1868. Optimus liber est *A*; proxime accedit *O*, ex quo *K* descriptum esse ipsae lacunae demonstrant; reliqui deteriores sunt. Quae cum ita sint, lectiones librorum *A O K* omnes, sive maioris sive minoris momenti sunt, attuli, eis tantum omissis, ubi — id quod maxime in *A* cadit

— omnis diversitas in accentu vel spiritu aut male posito aut omisso sita est; quamquam etiam huius generis graviores adieci. At reliquorum codicum eas tantum lectiones quae maioris momenti et memoratu dignae mihi videbantur, adscripsi, eandemque rationem in veteribus editionibus adhibendis secutus sum. Denique ne recentiorum quidem emendationes coniecturasque mihi neglexisse videor, quarum multas sumpsi ex Leutsch. Exercit. Crit. Spec. II Gott. 1862—3 et Heimsœth. Emend. Theognidearum part. III, Bonn., et Hecker. Philol. V p. 467 sq. Locos alios alii passim in diariis annalibusque Philologic. tentaverunt. De meis coniecturis vide append. libelli gymnasii, quod est Aurelia Aquensi, 1878, et Mus. Rhenan. 1879.

ΘΕΟΓΝΙΔΟΣ ΕΛΕΓΕΙΑ.

Ὦ ἄνα, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο
λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος,
ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσοισιν
ἀείσω· σὺ δέ μοι κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδου.

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητώ, 5
φοίνικος ῥαδινῇς χερσὶν ἐφαψαμένη,
ἀθανάτων κάλλιστον, ἐπὶ τροχοειδεῖ λίμνῃ,
πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίῃ
ὀδμῆς ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη,
γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολιῆς. 10

Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων
εἶσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοῇς,
εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε.
σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα.

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου 15
ἐς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ' ἔπος·

---

tit. θέογνις *G*. θεόγνις *t*. θεόγνιδος μεγαρέως *EL*. θεόγνιδος ἐλεγείων α' *A*. Θεόγνιδος στίχοι ἡρωελεγεῖοι *K*. ἀρχὴ τὸν θεῷ τοῦ θεόγνιδος ὃς διὰ στίχων ἡρωελεγείων *O*. θεόγνιδος γνῶμαι *BDFMPQ*. θεόγνιδος μεγαρέως σικελιώτου γνῶμαι ἐλεγειακαὶ *C*. θεόγνιδος γνῶμαι, ἡρωελεγεῖοι οἱ στίχοι *I*. θεόγνιδος γνῶμαι: μᾶλλον θεόγνιδος γνωμολογία πρὸς κύρνον τὸν ἐρώμενον *N*. θεόγνιδος μεγαρέως γνωμολογία πρὸς κύρνον πολυπαίδην τὸν ἐρώμενον *H*. θεόγνιδος γνῶμαι τοῦ μεγαρέως πρὸς κύρνον τὸν ἑαυτοῦ φίλον. θέογνις. θέογνις. θέογνις. *R*. — 1—4. Apostol. 18,56 b. Arsen. 485. — 1. λητοῦς υἱὲ *A*, qui ubique nomina propria minusculis litteris scripta habet. — v. 2. ἀρχόμενός γ' *I*. — 3. πρῶτον τέ Bergk. — 4. ὑμνήσω Cobet. Nov. Lect. p. 249. et Leutsch. Philol. XXIX p. 659. ἀείδω Bergk. — μοι *AOK:* * (i. e. ceteri codices) meu. — 6. ῥαδινῇς *OKBCDEFHILMN* et pr *G:* qui ῑ dativi tantum non ubique omittunt. τροφερῇς alter Palatinorum ab Hœschelio excerptorum. ῥαδινῆς Bergk. — 7. ἐπι τροχοείδεϊ *A*. — 8. ἀπειρεσίης *Hs*. et Hecker. — 9. ἐγέλασε *OKIQRt*. — 10. γήθησε *OKNP*. — 11. θηροφόνε Brunck. — 12. εἶσαθ' *A*, qui ex Hasii coll. εἶσαθ' præbet, et vulg. in *A* suprascriptum est „cognovit". — εἶσαθ' Crispin. — Bergk. cf. Callimach. ap. Schol. Arist. Av. 873: τὴν ὠγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἶσατο, τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται. Ceterum cf. Paus. I, 43, 1. — θοῆς *A:* * θοαῖς. θοῇς Bekker. — 13. ἀπο *A*. — 14. θεᾶ, ῑ eraso, *A*. μικρὸν *A:* * σμικρόν, et Aristot. Ethic. Eudem. VII, 10. —

ὃ τι καλόν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν.
τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

„Κύρνε" σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ τρηγὺς ἐπικείσθω
τοῖσδ' ἔπεσιν. λήσει δ' οὔποτε κλεπτόμενα. 20
οὐδέ τις ἀλλάξει κάκιον τοὐσθλοῦ παρεόντος.
ὧδε δὲ πᾶς τις ἐρεῖ· „Θεύγνιδός ἐστιν ἔπη".

τοῦ Μεγαρέως, πάντας δε κατ' ἀνθρώπους ὀνομαστός,
ἀστοῖσιν δ' οὔπω πᾶσιν ἀδεῖν δύναται,
οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς 25
οὐδ' ὕων πάντεσσ' ἀνδάνει οὐτ' ἀνέχων.

σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτός,
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.
πέπνυο μηδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασιν ἠδ' ἀδίκοισιν
τιμὰς μηδ' ἀρετὰς ἕλκεο μηδ' ἄφενος. 30
ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι. κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει
ἀνδράσιν, ἀλλ' αἰεὶ τῶν ἀγαθῶν ἔχεο·
καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε καὶ ἄνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δύναμις.

17—18 Iriarte p. 191. Post v. 18 Leutsch. distichon intercidisse censet, quo verba διὰ στομάτων explanata fuerint. 17. ἐστί *AOK*. — 19. „Κύρνε", σοφιζομένῳ ὄνομά μοι Hartung. σφραγὶς *OK*, σφραγῖς *I*. — 20. κλεπτόμενα *A*, κλεπτομένα *OK*: * κλεπτομένη. — 21. ἐκλέξει (ἐκ in rasura) *K*. ἀλέξει *O*. — τ' ουσθλοῦ *AOK*. τοῦ ἐσθλοῦ *CEGILPQR*. *s* in m. γρ. ἀθλοῦ παριόντος. — 22. πᾶς τις ἐρεῖ *AOK*. * πᾶς ἐρέει. Vid. hæc verba ap. Xenoph. Stob. 88, 14. — 23. Μεγαρέος Schneidew. et Leutsch, qui etiam ἔπεα postulat. — ὀνομαζὸς *AOK*, ὀνομαζοὺς *F*: * ὀνομαζοῦ. — 24. ἀστοῖσι δ' *OK*. — ὀνομαστὸς ἀστοῖσιν δὴ οὔπω Ahrens. ὀν. ἀστοῖς εἰ μή πω Bergk, sed postea: ὀν. ἀστοῖς τοῖσδ'. πάντας μὲν ἐπ' ἀνθρ. ὀν., ἀστοῖσιν δ'οὔπω Hartung. ὀνομαστὸς ἀστοῖς οὐδ' οὔτω πᾶσιν Leutsch. — ἀδεῖν *A*. — 24—28 Apost. 4, 14 d. — 25. Πολυπαΐδη Elmsleius: codices πολυπαίδη. — 26. πάντεσσ' *A*, sed ex Hasii coll. παντεσσὶ; πάντως *EL*, πάντας *H*, * πάντας. πάντας et in m. ἢ πάντως *t*. πᾶσιν Dindorf. πάντας *F* ανδάνει coni. Bergk., qui 799—800 huc referendos esse putat. — 27. εὐφρονεῶν *A*. — 29. πέπνυσο cod., sed πεπνυο *A*, ut inter υ et ο littera σ sit in rasura. πέπνυο Bergk. — ἔργασι *OK*. ἔργμασι *. ἐπεργμασι *A* sec. Hase. — μηδ' cod. μήτ' Bergk. Ego scripsi ἔργμασιν ἠδ'. — ἀδίκοισ' *AOK*. — 30. ἕλπεο Hermann. Hartung: πέπνυσ' ἠδ' αἰσχροῖσιν ἐπ' ἔργμασι μήτ' ἀδίκοισιν τιμὰς μήτ' ἀρετὰς ἕλπεο μήτ' ἄφενος. — 33—6 cf. Plato Menon p. 95 D. Muson. ap. Stob. 56, 18. — 33. μετὰ omnes: παρὰ Plato. Muson.:

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ᾽ ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσιν 35
συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε, καί ποτε φήσεις
εὖ συμβουλεύειν τοῖσι φίλοισιν ἐμέ.

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ, μὴ τέκῃ ἄνδρα
εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης. 40
ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ᾽ οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δέ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.

Οὐδεμίαν πω, Κύρν᾽, ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες,
ἀλλ᾽ ὅταν ὑβρίζειν τοῖσι κακοῖσιν ἄδῃ,
δῆμόν τε φθείρωσι, δίκας τ᾽ ἀδίκοισι διδῶσιν 45
οἰκείων κερδέων εἵνεκα καὶ κράτεος.
ἔλπεο μὴ δηρὸν κείνην πόλιν ἀτρεμιεῖσθαι,
μηδ᾽ εἰ νῦν κεῖται πολλῇ ἐν ἡσυχίῃ.
εὖτ᾽ ἂν τοῖσι κακοῖσι φίλ᾽ ἀνδράσι ταῦτα γένηται,
κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα. 50

καὶ μετὰ τῶν σύγε (*AB*, vulgo γεσὺ) πῖνε καὶ ἔσθε καὶ μετὰ τοῖσιν. Brunck et Bekker: καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε — καὶ παρὰ τοῖσιν. — 35—6. om. *P*. Afferunt Xenoph. Mem. I, 2. 20. Symp. 2, 5. Clemens Strom. 5, 572. Cram. An. Par. I, 229. Iriarte 448. Aristot. Eth. Nic. 9, 9 et 12. Liban. 3, 90 ed. Reiske; idem Epist. 79 et 1366. Crates Epist. 29. — 35. ἄπ᾽ *ADFGHIMNQR*. ἀπ᾽ *OK*. — διδάξεαι A sec. van der Mey, et Hermogen. cod. Paris. 1983. Xenoph. Plato. Stob. *A* Gesn. margo. Bergk. ex Aristotele ἔσθλ᾽ ἀπομάξεαι. — εἰ ap. Stob. pr. *A*. — κακοῖσι *AOK*. — 36. συμμισγῃῖς *A*, συμμιγῆς *OK* et Mus. Clem. Plat. Cram. Ir. Stob. συμμίξῃς Hermogenes: * συμμιχθῆς. cf. 1165. συμμίσγῃς Bekker. et Xenoph. cod. — Ceterum 19—38 coniunxi cf. proleg. Aliter Leutsch. Philol. XXIX p. 683. — 39. τέκῃ *A*. — ἄνδρας *A*, sed superscript: virum; tacet Mey. — 40. ἡμετέρης *A*, ὑμετέρης, suprascr. ἡ. *H*., M om: * ὑμετέρης. — 41. οἵδε *A*. ἔθ᾽ οἵδε] ἔασι omnes infra post v. 1082. — 42. εἰς *A*. — 44. ἀδῃ *A*. ἄδῃ *O*. ἀδύ *R*, ἀδῇ *EL*, * ἀδῇ. κακοῖσι δοκῇ Cam. κακοῖσι ἄδῃ Leutsch. — 45. φθείρουσι — διδῶσι sec. Schneidew., διδοῦσι sec. Bekk. et van der Mey, *A*. φθείρουσι — διδοῦσι Hartung, qui post ἄδῃ plene incidit et ex antecedente: πόλιν ὤλεσαν supplet; idem post κράτεος plene interpungit. Leutsch. scriptura eadem probata cum Bekkero inde a v. 47 alterum fragmentum eiusdem carminis inchoari putat. — 46. κερδέων *AO*, κέρδεων *K*: * κερδῶν. — καὶ om. *OK*. — 47. πόλιν κείνην *K*. — ἀτρεμέεσθαι cod. ἀτρέμ᾽ ἔσεσθαι Schœmann. ἀτρεμιεῖσθαι Bergk. — 48. ἡσυχία, superscr. ῃ. *O*. — πολλῇ κεῖται Epkema. Herwerden pro κεῖται c. χρῆται s. οἰκεῖ. — 49. φιλανδρασι *A*, sed φιλανδράσι sec. Mey. — 49—50 utpote interpolatos eieci.

ἐκ τῶν γὰρ στάσιές τε καὶ ἔμφυλοι φόνοι ἀνδρῶν.
μούναρχος δὲ πόλει μή ποτε τῇδε ἄδοι.

Κύρνε, πόλις μὲν ἔθ᾽ ἥδε πόλις, λαοὶ δὲ δὴ ἄλλοι.
οἳ πρόσθ᾽ οὔτε δίκας ἤδεσαν οὔτε νόμους,
ἀλλ᾽ ἀμφὶ πλευρῇσι δορὰς αἰγῶν κατέτριβον, 55
ἔξω δ᾽ ὥστ᾽ ἔλαφοι τῇσδ᾽ ἐνέμοντο πόλεος.
καὶ νῦν εἰσ᾽ ἀγαθοί, Πολυπαΐδη· οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ
νῦν δειλοί. τίς κεν ταῦτ᾽ ἀνέχοιτ᾽ ἐσορῶν;
ἀλλήλοις δ᾽ ἀντῶσιν ἐπ᾽ ἀλλήλοισι γελῶντες,
οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ᾽ ἀγαθῶν. 60
μηδένα τῶνδε φίλον ποιεῦ, Πολυπαΐδη, ἀστῶν
ἐκ θυμοῦ, χρείης εἵνεκα μηδεμιῆς·
ἀλλὰ δόκει μὲν πᾶσιν ἀπὸ γλώσσης φίλος εἶναι,
χρῆμα δὲ συμμίξῃς μηδενὶ μηδ᾽ ὁτιοῦν
σπουδαῖον. γνώσῃ γὰρ ὀϊζυρῶν φρένας ἀνδρῶν, 65
ὡς σφιν ἐπ᾽ ἔργοισιν πίστις ἔπ᾽ οὐδεμία,
ἀλλὰ δόλους τ᾽ ἀπάτας τε πολυπλοκίας τ᾽ ἐφίλησαν
οὕτως, ὡς ἄνδρες μηκέτι σωζόμενοι.

Μήποτε, Κύρνε, κακῷ πίσυνος βούλευε τὸν ἀνδρί,
εὖτ᾽ ἂν σπουδαῖον πρῆγμ᾽ ἐθέλῃς τελέσαι. 70
ἀλλὰ μετ᾽ ἐσθλὸν ἰὼν βούλευ καὶ πολλὰ μογήσαι
καὶ μακρὴν ποσσὶν, Κύρν᾽, ὁδὸν ἐκτελέσαι.

50. δημοτιῶν *A*. — 51. στάσιές τε *A*, sed sec. Mey στάσιεστε. * στάσις ἐστί. — 52. μούναρχοι *AOK*. — ἄδει, superscr. οι, *O*. ἀδεῖν *K*. ἄδῃ Bergk; μούναρχοί θ᾽, ἃ πόλει Ahrens. ἀνδρῶν μούναρχός τε᾽ πόλει Leutsch. coll. Herod. 3, 82. μούναρχοι δὲ — ἄδοιν (i. e. ἄδοιεν) M. Schmidt. — 54. οἱ πρόσθ᾽ corr. ἢ πρόσθ᾽ *A*. — 55. πλευραῖσι *AOK*. — 56. τῇσδ᾽ — πόλεος *A*: * τήνδ᾽ — πόλιν. — 57: εἶσ᾽ *OK* et *A* sec. Mey. 57 sq. cf. 1109 sq. — 59. ἀλλήλους libri, ego ἀλλήλοις. δ᾽ἀπατῶσιν libri præter *EL*, qui ἀπατῶντες, ego δ᾽ἀντῶσιν cf. 1113. ἐπαλλήλοισι *A*. — 60. Bergkio poeta videtur scripsisse: οὔτ᾽ ἀγαθῶν γνώμην εἰδότες οὔτε κακῶν. — 61 sq. coniunxi cum antecedentibus; pro μηδένα fort. scribendum est μηδέ τι vel simile quid; hi versus maximam partem ex sequentibus sumpti videntur. — 62. χρειῆς *A*. tacet Mey. — ἕνεκα *BCFMQt*, οὕνεκα *A*. — μηδὲμιῆς *A*. μηδεμιᾶς *K*. μὴ δὲ μιᾶς *O*. — 65. σπουδαίων *OK*. γνώσῃ *A*. — 66. ἔργοισι *A*. ἐπ᾽] ἐς᾽ *BCFMQ*. ἐν᾽ corr. *G*. ἐπ᾽ *O* et *A* sec. Mey. ἔτ᾽ Camerar. — 67. τ᾽ dederunt *ELR*, δόλους *, omisso τ᾽. — 68. σωζόμενοι *A*. — 70. ἐθέλῃσ *A*. — 71. ἐσθλῶν *OKF*. — βούλευ καὶ π. *A*. βούλευε π. *OK*. βουλεύεο *. μογῆσαι *OK*, μογήσας *. ἀλλὰ σὺν ἐσθλοῦ ἰεῖν βούλευ καὶ π. μογήσας Ahrens. — 72. ποσὶ *KI*. ποσσὶ *O* et *A* sec. Mey. — ἐκτελέσαι *OK*, ἐκτελέσας *, sed *A* ἐκτελέσα

πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνοε πᾶσιν·
παῦροί τοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον.
παύροις οὖν πίσυνος μεγάλ᾽ ἀνδράσιν ἔργ᾽ ἐπιχείρει, 75
μή ποτ᾽ ἀνήκεστον, Κύρνε, λάβῃς ἀνίην.

Πιστὸς ἀνὴρ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου ἀντερύσασθαι
ἄξιος ἐν χαλεπῇ, Κύρνε, διχοστασίῃ.

Παύρους εὑρήσεις, Πολυπαΐδη, ἀνδρας ἑταίρους
πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γιγνομένους. 80
οἵτινες ἂν τολμῶεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες,
ἴσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν.

τούτους δ᾽ οὔ χ᾽ εὕροις διζήμενος οὐδ᾽ ἐπὶ πάντας
ἀνθρώπους, οὓς νηῦς μὴ μία πάντας ἄγοι,
οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν 85
αἰδώς, οὐδ᾽ αἰσχρὸν χρῆμ᾽ ἔπι κέρδος ἄγει.

Μή μ᾽ ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ᾽ ἔχε καὶ φρένας ἄλλας,
εἴ με φιλεῖς καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
ἀλλὰ φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ᾽ ἀποειπὼν
ἔχθαιρ᾽, ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος. 90

---

